DE LIMITANDIS LAVDIBVS, ET ABVSV MOSCHI, IN MEDELA MORBORVM, DISSERTATIO,

AVTORE
BALTHASARO LVDOVICO TRALLES,
MEDICO VRATISL.



VRATISLAVIAE,
SVMPTIBVS IOANNIS ERNESTI MEYERI.
MDCCLXXXIII.

Opinionum commenta delet dies, Naturae iudicia confirmat.

INTER
PRIMOS TOTIVS ORBIS
MEDICOS,
COMMVNI LITERATORVM HOMINUM
CONSENSV,
IVRE SVO LOCATO,
OMNIBVSQVE
OBTENTIS DIGNITATIBVS,
QVAS IPSE EXORNAT,
VASTISSIMA ERVDITIONE, ET
INNVMERIS MERITIS
MAIORI,
ILLVSTRISSIMO, DOCTISSIMOQVE
VIRO,

S. A. D. TISSOT,

IN PERPETVVM VENERATIONIS,
ET AMORIS TESTIMONIVM,
LEVEM HANC OPELLAM,
SEQVE SIMVL TOTVM
DICAT
TANTI NOMINIS

AETERNVM CVLTOR
B. L. TRALLES.

A multis iam Annis, variis me affecisti beneficiis, VIR LITERATISSIME, propensumque Tuum, in meam tenuitatem animum, liberaliter declarasti. Obstrictissimus Tibi eapropter forem, quod ex scriptorum Tuorum immortalium, stupenda eruditione, et ditissima experientia medica refertorum, lectione proficere, eaque, quae inde didici, in Aegrorum meorum vsus conuertere potuerim. Sed haec obligatio, quam Tibi debeo, mihi, cum totius Europae Medicis, communis est. Speciatim autem, singularem Tuam beneuolentiam, publico testimonio, in egregia Tua *de febribus biliosis* dissertatione, mihi declarasti, dum scripto meo, quo virium, terreis remediis

 gratis

gratis hactenus adſcriptarum, examen rigoroſius ſuſcepi, calculum Tuum beneuole adiecisti, ac vtile opus id appellaſti. Variis deinde locis, in cedro dignis *Epiſtolis* Tuis *medico-practicis*, prolixum Tuum in me affectum, palam profeſſus es, atque Tractatum meum de Opio, nimis honorifico epitheto, *aurei*, condecoraſti; cumque pro inoculatione in eo militauiſſem, atque in ſecunda variolarum febre, opium excluſum velim, ex conſenſu meo, cum tuis ſententiis, Tibi natam voluptatem, humaniſſimis, et in laudes meas conceptis verbis expreſſiſti; quae modeſtia huc tranſcribere vetat. Non minus in eximio libro *de Epilepſia*, conſilia mea, de valde reſtringendo, in curatione eius, anodynorum vſu, laudaſti et rata habuiſti. Verum ſupereſt aliud fauoris genus, quod primo loco referre debebam, quodque me ineffabili gaudio affecit. In elegantiſſimo et doctiſſimo libello, *de ſanitate literatorum* *), ſolidiorem Medicinam validiſſimis armis inſtrui declara-

*) *de la ſanté des gens de lettres, in principio.*

clarasti, pro religionis dignitate, contra Obtrectatorum technas vindicanda, eaque sarta et tecta conseruanda. Si homines DEI obliuiscerentur, Medicos scientiae suae adiumento pares et idoneos futuros affirmas, pro illis ad meliorem frugem, et ad sublimes conceptus, de Ente immortali, reuocandis, de quo nemo accuratius, et dignius locutus sit, quam hi. Postquam deinde, in huius asserti fidem, HIPPOCRATEM, falso Atheismi accusatum, GALENVM, POLYCHRESTVM, BOYLEVM, SYDENHAMVM, LOCKIVM, BOERHAAVIVM, HOFFMANNVM, HALLERVM, nominaras, placuit Tibi, et meum tenuissimum nomen tot Illustrissimis Viris adiicere. Longe a me abest vana mei existimatio, cum curtam doctrinae meae supellectilem bene norim; de hoc tamen honore, quo me dignum censes, innocenter superbio; quid enim titulo hominis religioni dediti, parisque et idonei habiti, qui eam publice tueatur, gloriosius?

Non possum praeterire silentio, insignem Tuam liberalitatem, qua omnia, ex profun-

da, et non exhaurienda penu ſcientiarum Tuarum, profecta Opera, quae ſera Poſteritas venerabitur, et grata in ſua commoda conuertet, mihi dono dediſti. Vltimi elaboratiſſimi, quod de *Neruis* agit, cuius continuationem, et finem ardenter auideque expectat vniuerſus Orbis medicus, fronti, propria manu inſcripſiſti blandientes mihi pretioſas lineolas, teſtes exiſtimationis et amoris, quibus me complecteris, quicquid in me eſt, longiſſime ſuperantes. Pudore ergo omnino ſuffundi debeo, nil habens, nil videns, quo beneficia Tua in me collata, vlla ratione rependam. Nimis indigna eſt, bene ſcio, tenuis haec opella, quae Tibi offeratur, quae Celeberrimum Tuum Nomen praefixum gerat. Indulgebis interea, pro mira Tua humanitate, bonae voluntati Grandaeui Senis, mentis equidem viribus nondum deſtituti, at nequaquam talibus inſtructi, quibus Te paſſibus aequis ſequeretur, tamen veſtigia Tua legere ſtudioſiſſimi; atque eapropter leue hoc documentum deuotiſſimi Tibi cordis, benigne excipies. Te monſtrante viam, qua inceden-

cedendum ſit, vt ars noſtra certior reddatur, atque a falſis hypotheſibus, inanibus opinionibus, et nociuis humano generi erroribus, repurgetur, ſcripſi Opus meum *de vſu Veſicantium ſalubri et noxio*, quod, fidenter ſpero, Tibi haud improbabitur: eadem methodo elucubraui praeſentes pagellas, quas Patrocinio Tuo, et tutelae, contra ſecus ſentientes, humaniter humiliterque committo. Omnia, quae vitam faciunt beatiorem, famam, opus, et, vt refertur, proſperam valetudinem, Tibi elargita eſt benefica Prouidentia. Nil reſtat, quam vt Ipſam ſupplex venerer, Eius nutu mortalibus bene cupiente, diu, et ad vltimum ſenium vſque, maneas Artis ſalutaris decus, Medentum Gloria, diſcentium Oraculum, et aegrotantium refugium. Dolet, licet egregiis Medicis non deſtituta, *Varſauia*, quod TE Optimi Principis Archiatrum non adepta ſit; Partes, Tibi demandatas, licet, ex Tuo conſilio et beneuola commendatione, vocatus, vt ſuſciperem, nimis indignum me iudicaui. Doleat acerbe *Lauſanna*, quod TE, neſcio quo ſiniſtro fa-

to, amiſerit. Laetetur et gratuletur ſibi *Neapolis* et *Roma*, quod TE ad tempus poſſederit. Exultet, quod TE Totum poſſideat, *Pauia*, Teque ſuum tenerrimo affectu amplecti et fouere, nunquam deſinat. Vale VIR LITERATISSIME! res Tuas omnes age feliciter, mihique fauere perge. Scribebam Vratisl. die 4. Mai. MDCCLXXXIII.

PRAE-




PRAEFATIO.

Multorum Medicorum, opinor, Gratiam haud initurus ſum, dum in laudes remedii, longe lateque hactenus magni habiti, non excurro; ſed potius, aſſertos ipſi honores, dubios reddere allaboro. Fateor libere, multa auſus ſum, dum opinionum torrenti, aetate confectus, et viribus orbus Senex, me opponere non dubitaui. Sed ſine pruritu, aliorum medendi methodos carpendi, ſoli Veritati, quam ardenter amo, vnice lito, praeiudicia antiquata ſemper odio proſecutus. Non curabo ſale et felle refertas recenſiones, et cenſuras, ſed placita et tranquilla mente eas expecto, acerbiſſimas etiam patienter ſuſcepturus. Qui me nimis iniurium in Moſchum fuiſſe cauſarentur, ſtringentibus contra me argumentis vtantur,

gratis-



gratisque ad experimentiam ſolam, ratione perperam neglecta, haud prouocent. Abſolute vt probetur opus eſt, Experientias illas, quibus, ceu fundamento, cogitata mea ſuperſtruxi, falſas eſſe; deinde, me minus veras morborum, de quibus egi, cauſarumqne eos excludentium ſuppeditauiſſe ideas; tandem me moſchi vires genuinas, et actiones in corpus cum indicationibus veris therapeuticis, minus dextre contuliſſe. Si hoc non praeſtitum fuerit, inconcuſſa et vera manebunt omnia, quae ediſſerui. Scribebam die 4. Mai. Ann. MDCCLXXXIII.



§. I.



§. I.

Magna, a longo tempore, pompa stipatus, in apparatu simplicium Medicaminum incessit MOSCHVS. Integrum Seculum elapsum est, cum *Historiam* suam *Moschi* in publicum prodire faceret [a]), Vir doctrina et meritis insignis, LVCAS SCHROECKIVS, Physicus Augustanus, Academiae Nat. Cur. tum Adiunctus, deinde Praeses vltra 30. annos celeberrimus. In hoc Opere, multo labore magnaque eruditione conscripto, varia habet, ad historiam naturalem Moschi facientia; tribusque distinctis capitibus, *de Animali moschifero*, de *folliculo moschifero*, de *loco natali Animalis moschiferi*, agit. Ad vsum Moschi in Medicina deinde delatus, singularibus capitibus explicat virtutem Moschi alexipharmacam; confortantem in genere, cephalicam

Introitus.

a) *August. Vindel. 1682. Nata est haec historia, ex dissertatione de Moscho, sub Schenckii praesidio, Ienae 1667. habita, ab eodem Cl. Viro, quam deinde auctiorem, et emendatiorem sub Historiae nomine 1682. edidit.*

cam in genere, et in ſpecie; ophthalmicam; in aurium morbis; in narium vitiis; in oris foetore, et odontalgia; virtutem pectoralem, et pneumonicam; cordialem in genere, et in ſpecie; hepaticam, ſpleneticam, ſtomachicam, anticolicam, et anthelminticam; vterinam, veneream, in ſterilitate mulierum; arthriticam, et contra foetores. Tradit deinde tribus capitibus, multam farraginem medicamentorum moſchatorum, liquidorum, ſicciorum, et mediae conſiſtentiae. Tandem Moſchi vſum ſacrum, politicum, oeconomicum, coſmeticum, emblematicum, non minus deſtinatis vnicuique peculiaribus capitibus, exponit. Quam merito autem in prolixam hanc deſcriptionem, ſuam ſe locaſſe operam, viſum fuerit Doctiſſimo Viro, aliquot Eius verba, in ipſa praefatione obuia, luculenter teſtantur. *Si vllum*, inquit, *ex diuite Naturae penu*, *in hominum viilitatem*, *hucusque productum ſimplex*, *Moſchus certe*, *conſiderari meretur*. Exaratus eſt hic tractatus, vt titulus indicat, ad normam Academiae Naturae Curioſorum. Lex nempe in ea obtinebat, vt eius Praeſides, Adiuncti, Collegae, honorem ipſis collatum merituri, ſeligerent aliquod ex tribus Regnis Naturae, pro lubitu, ſubiectum, eiusque hiſtoriam naturalem explicarent. Variis igitur inde depromptis, hac occaſione panegyrici dicti ſunt, virtutesque

medi-

medicae eorundem ad coelum elatae, et tanquam vniuerſales depraedicatae. Nata inde eſt PAVLLINI *Lycographia*, HERTODT *Crocologia*, SACHSII *Ampelographia* et *Gammarologia*, WEDELII *Moſchologia* etc. Non ergo mirum, quod Cl. SCHROECK, ad ſuperiorum temporum ſcriptores, ad Arabesque vſque retrogreſſus, eorumque, non minus, ac coaeuorum, auctoritatibus et teſtimoniis nixus, Moſchi vires valde extenderit, et liberaliter commendauerit. Ita deinde, ad recentius noſtroque propinquius aeuum vſque, magni honores ipſi, a Medicis, Anglis praecipue, decreti ſunt. Facem quaſi multis, artem ſalutarem exercentibus, praetulit *Praxis Londinenſis*, largiter aegris moſchum ad hunc diem exhibens. Fama eius, variis ſcriptis practicis inde diſperſa, valde occupauit diuerſarum Regionum Medicos, ac ſi moſchi vaporoſa effluuia eorum capita adeo obnubilata reddidiſſent, vt plenam omnibus elogiis, et promiſſis, fidem habere cogerentur. Nimis facili eapropter fiducia, ac coeco amoris oeſtro perciti, haud pauci, miraculoſum hoc pharmacum aegris ſuis, interdum qualibuscunque, praebere, non amplius dubitarunt. Plena ſunt Autorum, qui morborum curationes, aut materiam medicam conſcribere ſibi ſumſerunt, opera, cum anglicis praecipue pollicitationibus nil quod opponerent, ſe habere



bere reputarent, laudibus virium, et virtutum, quas possideat Moschus; quibus aliis ad recuperandam sanitatem necessariis praesidiis praeeat, ea longo interuallo post se relinquens. Postquam Doctissimus GMELIN in litteris, a Cl. COLLINSON ad se scriptis, puluerem tunchinensem ob admirandos suos effectus in coelum efferri legerat, pro loco Professoris Medicinae extraordinarii publice disputans, suae dissertationi speciosum hunc titulum praefixit: *Specificum antidotum nouum, aduersus morsum canis rabidi, febres malignas pesti proximas, et exanthematicas varias, inflammatorias singultui iunctas, manias, et melancholias, Tubingae, 1750.* Longe absum, vt effectus praestitos a Moscho prorsus in dubium vocare sustineam, totque Illustribus Viris publice contradicam, facilitatem tantum quorundam Practicorum taxo, omnia exotica nouiter decantata et ebuccinata arripiendi, et eorum adhibitionem coeco ausu in morborum medela latius etiam extendendi, quam ipsi Encomiastae illam extensam desiderant. Sunt nempe inter illos, qui, pro efficaci declarato quodam pharmaco, quod breui in deliciis habent, fere omnes, licet causarum subiectorumque intuitu valde diuersas, aegritudines, curabiles, ac quasi gladio quodam delphico confodiendas, reputant, saepe, adeo in oculos incurrente sinistro effectu,

vix

vix coercendi, phoenomenaque infelicia ab vſu emergentia pertinaciter, non adhibito a ſe remedio adſcribentes, ſed ad morbi gravioris ſymptomata referentes. Talibus vero medicaminibus ſine ſufficiente deliberatione in artem intruſis, et promiſcue adhibitis, haec non certior et potentior, ſed confuſa magis, incerta, et tumultuaria redditur; ſucceſſusque in medendo, ſi non ſemper infauſti, tamen fortuiti redduntur; aegri ſalus ancipiti caſui committitur, et de corio humano, quia de agendis et actis nulla ratio reddenda eſt, impune luditur. Sufficit nempe, prorſus ad haec omnia non attendentibus legiſſe, vel audiuiſſe, non ſemper ab Agyrtis, quod ignominioſum foret, ſed ab Autoribus medicis commendatum, exoticum praecipue, remedium, idque in catalogo morborum, ad quos abigendos valeat, contineri, nulla licet addita ſufficiente inſtructione, ſub quibus circumſtantiis, quo tempore, qua doſi, quibus ſubiectis, id adhiberi queat, et debeat.

Dum ſcriptionem hanc de Moſcho paro, quem examini paulo rigoroſiori ſubiicere animus eſt, nil de eius Hiſtoria proferre meditor, quam multi Celeberrimi Viri fuſius explicarunt, ad quos Lectores meos ablegatos velim. Omnes Autores, qui data opera de Moſcho vt remedio ſcripſerunt, eiusque viribus medicinalibus, non poſſi-



deo, nec acquirere, ideoque haud legere, et asserta eorum expendere potui. Non vidi Orationem *Salom.* ALBERTI *de Natura et efficacia Moschi*, nec SCHENCKII *dissertationes de Moscho*, nec WEDELII *Moschologiam*. Nonne autem vel vnus SCHROECKIVS mihi sufficeret? qui non soli cordi, cerebro, et neruis, sed omnibus sine exceptione visceribus, moschum amicum esse remedium, eorumque omnium morbis mederi, probare conatus est. Careo his nominatis Auctoribus minore damno, cum multos alios nouerim, recentiores etiam Materiae medicinalis et rerum pharmaceuticarum scriptores, qui vires huius remedii valde extollunt. Hos inter magni Viri, CRANTZIVS [b]) et VOGEL [c]), freti Auctorum, quos allegant, auctoritatibus et laudibus, Moschum valere dicunt, ad hydrophobiam, morbos conuulsiuos, malum hystericum, maniam, febres malignas; vt amuletum, ad auertendas variolas. Nemo vero in enumerandis morbis, quorum sanationi aptus habetur moschus, magis operosus fuit, quam Cl. FIDERIT [d]). Nimirum postquam eius virtutes in genere explicarat, ipsos morbos sistit, in quibus eapropter adhibeatur, Morbos conulsiuos, epilepticos, hystericos, febrium periculosa symptomata, vt sunt singultus, tremores, spasmi, subsultus tendinum, deliria, anxietates, tussim spasmodi-

b) *Mat. med. Tom. I. p.* 152. 153.

c) *Hist. mat. med. p.* 355.

d) *Pharmaciae ration. p.* 267.

modicam, hydrophobiam, maniam, ſymptomata febrium malignarum, variolas. En integrum morborum, et ſymptomatum exercitum! Non ergo contra omnem expectationem nobis occurrere poſſunt Practici, qui polychreſtum et panchreſtum remedium Moſchum habent, eoque inſtructi, ſtrenua et valde armata manu, illi oppugnando, et vincendo, fidenter ipſum parem fore reputant. Sat facilis vero hac ratione Praxis redditur, neque multum deliberationis et iudicii requirit. Attamen bene diſertus Moſchi virium medicarum Praeco, citatus SCHROECKIVS inter media encomia, quae ipſi in variorum morborum medela decernit, nihilo minus, pro egregia ſua doctrina et experientia, non potuit obliuiſci incommodorum Moſchi, quibus deſcribendis integrum caput deſtinauit. In eo, ſapiens inquit: *Moſchi immenſas vires, licet omnis depraedicet Orbis, ſalutaris tamen omnibus Medicina is nequaquam exiſtit, ſed incommoda vſum eius haud raro ſequuntur, prudenter ergo eo utendum eſt.* Vix dici poteſt, quantum damnum afferat deplorandis aegris, nimis ſimplex haec notitia, Medicis Practicis bene multis ſufficiens, huic vel illi aegritudini tollendae, inſeruire hoc vel illud remedium, communem aſſenſum et approbationem adeptum. Dolendum eſt, pauciores eorum reſpicere ad mutationes phyſicas, quas ſo-



lidis et fluidis inducunt assumta pharmaca; pauciores perpendere ante praescriptionem, an mutationes hae tollendae causae proximae morbi cognitae, sint apta, an minus; an potius illam in sua actione iuuent, et confirment; an aliud quid praestent, quod praestitum Medicus nollet, quodque formatis iustis indicationibus therapeuticis vere contrariatur. Alibi [e]) occasione Vesicantium mea feci monita summi momenti Ill. TISSOTI [f]), liceat mihi hac occasione illa repetere: *Omissa attentio*, inquit, *ad omnes veros effectus remediorum aegro praescriptorum, videtur mihi causa esse multitudinis errorum, qui quotidie committuntur, in facienda Medicina, a quibus tot mala emergunt. Quid est illud, quod in Aegro mutare debeo, qui mihi sui curationem commisit? Quid aget, quid operabitur id, quod ipsi praescripturus sum? En duas quaestiones! quas quilibet Medicus manum operi suo admoturus, sibi ipsi mouere debet, cum tota Praxis medica circa eas versetur, ad quas determinatam responsionem magis possibilem credo, quam vulgo putatur. Verum vltro non sine dolore profiteor, interrogari etiam posse, quot sunt Medici, qui has quaestiones sibi proponunt? et quot sunt, qui ad eas respondere norunt, ea rectitudine et certitudine. quae ad conuictionem requiritur, quod ad minimum nunquam noxas inferant. Sane hoc:* NON NOCERE, *primarium obiectum Medicinae esse debet.*

e) *in praefatione ad librum meum de Vesicantibus.*

f) *Traité de nerfs, Preface.*

debet. Vt ſcopulos hos adeo periculoſos, etiam in Moſchi praeſcrpitione euitemus, age, ante omnia attentius et ſcrupuloſius rimemur, ſine reſpectu vllo ad morbos, veros effectus, quos, multis et repetitis experientiis eos clariſſime docentibus, intrans corpus humanum Moſchus, in ſolidis et fluidis eius, exerit.

§. II.

EXPERIENTIA I.

Moſchus ſumma et ſtupenda plane vi, agit in Nervos, totumque eorum Syſtema peruadit, et commouet.

Proſtant ab Excellentiſſimo illo Naturae Myſta *Roberto* BOYLE conſcriptae exercitationes tres *1) de effluuiorum mira ſubtilitate, 2) de natura illorum determinata, 3) de illorum inſigni efficacia.* Huius dogmata eruditiſſima exacte cognita tenens Ill. HOFFMANNVS [g]), minimae molis materiam, in neruoſis partibus, inſolentem aliquam agitationem excitare poſſe, magnis praeter naturam motibus procurandis aptam, ſcripſit. Plenius hoc argumentum explicans *van* SWIETEN [h]), *Certiſſimis,* ait, *obſeruatis conſtat, eſſe in natura rerum talia, quae in ſubtiliſſimum noſtri corporis liquidum, quod ſpiritus vocamus, inſignem habent efficaciam, et totum corpus*

g) *Med. Syſt. Tom. III. ſect. I. c. V. §. 10.*

h) *Comm. Tom. I. p. 773.*

corpus miris modis mutare possunt. Interim tamen tota haec vis pendet saepe, a corpusculis vel effluuiis, adeo subtilibus, et minutis, vt non tantum sensus, sed et omnem imaginationem, fugiant. Exemplo asserta sua illustraturi, et HOFFMANNVS et *van* SWIETEN, prouocant ad *Moschum*, *Zibethum* et *Asam foetidam.* Equidem ex omnibus corporibus naturalibus odoriferis, tanquam ex perenni fonte, plenis riuis continuo efferuntur minutissima effluuia totum aerem circumfusum, cuius elementis intime immiscentur, replentia, quae motu eius quaqua versum, ad nares hominum, rapido cursu prouoluuntur. At vero inter omnes res naturales, fortissimum odorem spirare Moschum asserit NEVMANN [i]), quare etiam Pharmacopoeos monet, vt sollicite custodiatur, et asseruetur in vitris, plumbeis insuper pyxidibus immissis, quae adhuc madefacta vesica circumuoluendae sunt, et in nullis locis calidioribus locandae. Rectissime ergo summam volatilitatem moscho tribuit KOENIG [k]). Hac sane, omnibus volatilibus notis palmam is praeripit. Particulae eius mobilissimae et fragrantissimae, fixioribus gummoso-resinosis et terrestribus inuolutae, sui iuris factae, vltra omnem imaginationem sunt diuisibiles, atomique hae ob exiguitatem, omnem conceptum superantem, vix punctis mathematicis sese comparari pateren-

i) *in lectionibus chymicis p. 1289.*

k) *Regn. animal. p. 282.*

terentur. Si in conclaui ſatis ſpatioſo congregarentur homines illud totum implentes, atque in loco aliquo poneretur vnicum granum moſchi, odorum vndae per omnem circumfuſum aerem diſpergerentur, omnesque qui adeſſent, ſine exceptione, aeque odorem perciperent. Debuerunt ergo effluuia inde emanantia immediate tangere et afficere omnium membranam pituitariam; debuit granum hoc ea omnia perdidiſſe; et tamen lanci accuratiſſimae expoſitum, nil de ſuo pondere amiſit. Dum ſubtilitatem ſtupendam particularum harum memorat CARTHEVSER [l]), vnicum moſchi granum per aliquot annos absque intermiſſione fortem diffundere odorem; et integram pulueris cuiusdam inodori libram, ſi intimius tritura miſceatur, odore fragrante impraegnare, refert. BOERHAAVIVS [m]) non nouit vllum corpus, quod diutius ſeruet odorem, et latius ſpargat; illumque inhaeſiſſe cubiculis per 40. annos, licet aedes luſtratae fuerint, ſimul narrat. Haec interim effluuia ex ſuaueolente moſcho, quanquam ſint ſtupendae exiguitatis, tamen ſumma efficacia pollere, affirmat HOFFMANNVS [n]). Probant omnia hactenus enarrata phoenomena luculenter, ſi aſſumatur in corpus noſtrum moſchus, ipſum ob ſummam ſuam diuiſibilitatem ſine dubio in minutiſſimos receſſus penetraturum, nilque ipſi in eo inuium futurum.

l) *Fundam. Mat. med. Part. II. p. 376.*

m) *de Morb. Neru. p 744.*

n) *Med. Syſt. loc. cit.*

 turum.



turum. Iure certe summo, illum per totum corpus penetrabilissimum medicamentum nominat CRANTZ [o]). Mirabili vi per illud penetrare, notat VOGEL [p]). SWIETEN [q]) octenni puellae 10. grana exhibuit per plures dies, saliua, sudore, vrina moschum redolentibus. Id ipse de Moscho suo praedicant Sinenses, quod odore suo penetret per omnes ductus, per omnia excretoria, et omnes pilos corporis, per carnes, et ossa, quod omnia vasa aperiat [r]). Si non de Mercurio viuo, et crudo, (nam is deglutitus fere eadem quantitate exit per aluum) tamen de remediis mercurialibus certum est, quod in minutissima vasa sese insinuent, atque in iis operationes suas edant, quare mercurium viperae quaquaversum per omnia repenti, alicubi comparauit BOERHAAVIUS. Quid vero ille ad moschum? cuius elementa ad vltimam subtilitatem euecta, sine dubio in ipsos neruorum tubulos viam apertam inueniunt, ibidemque subtilissimo eorum fluido sese admiscent. Actionem in neruos omnino agnoscit WHYTT [s]), at primarium et sensibilem fructum prouenire ab operatione in neruos ventriculi, statuit, licet modus singularis, quo in eos operetur, nobis sit incognitus. BOERHAAVIO [t]) sufficit annotasse, miram eius esse efficaciam, in totum Systema neruosum.

o) *Mat. med. I. p. 152.*

p) *Hist. Mat. med. p. 355.*

q) *in Comment. III. p. 437. Sudores, moschum sum tum redolentes habet, etiam Riuerius Cent. IV. obs. 35.*

r) *de Halde description de l'Empire de la Chine Part. III. p. 605.*

s) *Nerven Krankheiten, p. 276.*

t) *de morb Nerv. p. 744*

Licet

Licet vero, notante BOERHAAVIO v), hoc corpus naturale minima copia mire placeat, hincque, qui thymiamatis conficiendis praeſunt, pauciſſima moſchi copia, reliquas virtutes exaltare ſoleant, tamen non ſemper gratae et iucundae ſenſationes vſum ipſius ſubſequuntur. Minime ſemper verum eſt, quod, quos in ſequentibus nominabo, FVLLER, KÖNIG, VALENTINI, et alii contendunt, Moſchum inſigne eſſe cordiale et neruinum, ſpiritus ſuauiter reficere et afficere, vixque par medicamentum cor corroborans dari. Neque etiam vbique certum eſt, quod ſtatuit WHYTT x), moſchum ſuae irritationis ſingularis efficacia, non tantum neruos contra irritationem diuerſarum noxiarum materiarum, minus ſenſibiles praeſtare, ſed et ipſis aliquam viuacitatem, minimum ad certum tempus, conciliare. Veriſſimum potius eſt, et millenis experientiis comprobatum et euictum, quod dicit LVDOVICI y), Moſchum *plurimis aduerſiſſimum* eſſe. Neque in magnum honorem ipſi cedit, quando CRANTZIVS z), illum *validum eſſe corpus turbans*, affirmat. Cautos eapropter Medicos eſſe iubet BOECLERVS a), in praeſcriptione moſchi, praeſertim in mulieribus. De Viris equidem dicit BOERHAAVIVS b), quod moſchum tolerent, foeminae autem minime, etiam ſanae.

v) *l. c.*

x) *p. 276.*

y) *in Pharmacia moderno ſeculo applicanda p. 358.*

z) *Mat. med. p. 152. Tom. I.*

a) *in notis ad Herrm. Cynoſ. mat. med.*

b) *in praelect. ad inſtit. ad §. 1112. ad vocem ſingulares*



Verum alibi[c]) *Moschus, inquit, potest ita afficere neruos, vt simulac eius odor percipitur, mox oriantur dirissimi spasmi, non in foeminis tantum, sed et in Viris hypochondriacis.* Eadem ratione *van* SWIETEN[d]), Moschum et Zibethum tantam grauis odoris vim diffundere, dicit, vt hystericis et hypochondriacis saepe magnam molestiam faciant. Porro quoque Cl. CARTHEVSER[e]) *Solus odor,* ait, *multis tam masculini quam foeminini sexus, maxime autem foeminis hystericis, adeo aduersatur, vt eundem, citra animi deliquium, summamque anxietatem, perferre nequeant.* Moschum si non aegris, graui suo odore, tamen adstantibus saepe nocere, scribit laudatus *van* SWIETEN[f]). Dumque Puellae cuidam illum exhibebat, nimia fragrantia, non adsuetis molestam redditam fuisse hanc aegrotam, refert[g]). Vires moschi in Nosocomio experiri volens Cl. LOCHER[h]) odorem fragrantissimum integrum tractum Nosocomii ita infecisse recenset, variasque ipsi induxisse difficultates, vt consultum inuenerit, aliud energeticum remedium, illi substituere.

c) *de morb. Nerv. p. 744.*


d) *Tom. III. p. 379.*

e) *Fundamenta Mat. med. II. p. 380.*

f) *III. p. 379.*

g) *III. p. 437.*

h) *in Obseruat. pract. circa Luem, Epilepsiam, et Maniam p. 63.*



§. III.



§. III.

EXPERIENTIA II.

Moſchus Circulationem Sanguinis celeriorem reddit, et fortiorem, eaque propter etiam calorem in Corpore auget.

Experientia haec extra dubium poſita vnicuique palpabilis reddi poteſt, qui hominis pulſum, cui moſchus maiori minorique doſi fuit exhibitus, attente voluerit explorare, quem tum ſemper citatiorem, pleniorem, et fortiorem offendet. Ingens eſt numerus Medicorum, qui hunc Moſchi, vt penetrantiſſimo odore, ita et ſubacri guſtu praediti, effectum conſtanter obſeruarunt, et proinde de eius virtute vitale flumen in maiorem motum concitandi, ſanguinemque calefaciendi, vnanimiter conſentiunt. Cel. SCHROECK neminem neſcire dicit [a]), Moſchum egregiam in confortando corpore opem praeſtare, quare et Ambra moſchata, minima etiam doſi deglutita, omnium viſcerum maximum confortatiuum paſſim ſalutetur. Maxime autem, quam inſignis in corde roborando virtus inſit Moſcho, tum crebram experientiam, tum infinita paene Medicorum teſtimonia docere memorat, ad *Arabes*, *Matthiolum*, *Lullium* et alios prouocans [b]). Atque hoc ipſum

a) *Cap. XIX. de moſchi Vi confortante.*

b) *Cap. XXVII. de Moſchi vi cordiali p. 133. 134.*



ipſum ſic explicat: „Quia hoc remedium „ſulphure ſpirituoſiſſimo, et ſale volatili „abundat, his ſanguinem particulis calidis „actiuis inſtruit, rarefacit, et conſequenter „etiam ſpiritus languidos ſuſcitat, deficien„tesque reſtituit, ſiue externe ſiue interne ſe „inſinuet, et ad pulmones deferatur, ſiue „ſtomacho offeratur, ad ſanguinis viuificatio„nem tandem deportandus. Grata fra„grantia ſpiritus neruorum incolas demulcet, „ſuſcitat, auget, ſicque cordi non exiguum „robur addit." Alibi [c]) *Moſchus*, inquit, *ſanguinem in motum concitatiorem inſtigare valet, ex ſtomacho et inteſtinis, ſanguineos, lymphaticos, et neruoſos ductus intrans.* Eapropter grauidis, pro cordiali ſcopo, non niſi moderatum vſum concedit [d]), ne nimio vſu ſanguis plus iuſto commotus abortum acceleret. Nempe calidum eum eſſe dicit [e]), corpori applicatum manifeſtiſſime id calefacere, ex Arabum, et aliorum Auctorum teſtimoniis probat; imo feruidum medicamentum moſchum vocat [f]) et de *Salomone Alberti* refert, quod illum ſanguinem adurere affirmauerit [g]).

Sed plura teſtimonia Autorum celebrium, vt mihi occurrunt, Lectoribus meis, ea iure poſtulantibus, in rei fidem, adducam. FERNELIVS [h]) inter cardiaca calida Moſchum refert, deque eo dicit, quod calefaciat et exſiccet. KÖNIG [i]) Moſchus, inquit

c) *cap. XXXIII. p. 147.*

d) *p. 152.*

e) *c. 14.*

f) *Cap. XXI. p. 120.*

g) *p. 98.*

h) *method. med. lib. V. c. 21.*

i) *Regn. Animal. p. 282.*

inquit insigne est cordiale, spiritus suauiter reficiens, massam sanguineam languidam et torpescentem instaurans. VALENTINI [k]) virtutes moschi consistere dicit, in particulis valde volatilibus, valde calefacientibus, spiritus vitales confortantibus, sanguinem in motu progressiuo perpetim conseruantibus, nullumque fere ipsi medicamentum praeferendum esse, quod ad roborandum cor magis valeat. BOECLER [l]) de Moscho pronunciat, quod sanguinem admodum impetuosum reddat. *Van* SWIETEN ita scribit [m]): „Illa, quae grauem et „vehementem odorem spirant, Latini dixe„runt Virosa. Virosa, Virgilio dicta, casto„reum, Moschus, Zibethum calefaciunt, ex„citant, mouent." WHYTT [n]) moschum calefacere fatetur, minus saltem dicit, quam castoreum. HUXHAM [o]) miram vim habere Moschum per cutem expellendi notat, nec interea calefacere nimium. Nihilominus tamen alibi [p]), catalogo calidiorum remediorum eum inserit, puluerique contrayeruae composito, myrrhae, croco, theriacae, mithridatio, confectioni cardiacae ex meris aromaticis compositae, parem habet. Sane omne remedium, quod per cutim expellit, necessario debet augere circulationem sanguinis et calefacere. Cum ex obseruatione SYDENHAMI, quo magis erumpentes Variolae quartum diem praeuertunt, eo magis

k) *Hist. simpl. p. 307.*

l) *in notis ad Herrm. Cynos. mat. med. Part. II. p. 40.*

m) *Comment. Tom. III. p. 378. in fine.*

n) *Nerven Krankh. p. 279.*

o) *Operum Tom. I. p. 306.*

p) *Tom. II. p. 138.*



magis confluant, Cel. ROSEN[q]) consilium dat, pro impedienda eruptione praematura, primis tribus diebus, ab vſu moſchi abſtinendum eſſe, nullam ſane aliam ob cauſam, quam quod praeter rem circulationem celeriorem et fortiorem redderet, caloremque augeret. LOESEKE[r]) illum, vt remedium vere calidum, conſiderandum eſſe dicit, quod ſtimulo ſuo motum cordis et arteniarum valde augeat. FVLLER[s]), mulcimine pergrato ſpiritus languidos refocillare Moſchum et nobile prorſus eſſe cardiacum, affirmat, alibi[t]) vero, ſanguinem potenter exagitare, aſſerit. Neque dubitat BOERHAAVIVS[v]) inter ſtimulantia cardiaca referre odores plane ſingulares, qui inveniuntur in Ambaro, benzoino, caſtoreo, moſcho, ſtyrace, zibetho. Moſchum etiam in claſſem ſtimulantium cardiacorum locauit CRANTZ[x]). TRILLER[y]) moſchum virtute calefaciente, attenuante, diſcutiente, cardiaca, inſtrui notauit. Tandem Cel. PIDERIT[z]) de eo pronunciat, quod circulationem ſanguinis cito et inſigni modo augeat, irritet, reſoluat, ſudorem potenter moueat, ſanguinis profluuia pellat. Nimius omnino eſt MERCVRIALIS[a]), quando Moſchum omnium corporum odoratiſſimum, venenum eſſe exiſtimat, ſi vt medicamentum intus capiatur, ex hac ratione, quod ſincerus naribus appoſitus ſtatim ſanguinem

q) *Kinderkrankheiten, p. 179.*

r) *Abhandl. der Arzney Mittel, p. 553.*

s) *Pharmacop. extemp. p. 205. 206.*

t) *p. 302.*

v) *inſtit. §. 1112.*

x) *Mat. med. p. 152.*

y) *diſpenſ. vniuerſ. Part. I. p. 290.*

z) *Pharm. ration. p. 266.*

a) *lib. I. de Comp. Medicamentorum c. 15.*

guinem proliciat, hinc et interne vi quadam insigni, qua pollet, in aperiendis vasis, ob tenuitatem et acrimoniam substantiae, pariter sanguinis exitum esset procuraturus. Recte tamen monet HOEFERVS [b]), in haemorrhagia qualibet, vbi sanguis sisti debet, Moschum fugiendum, quia vehementia odoris tenuitateque eximia sanguinis fluxum adaugeret. Memorat iam HIPPOCRATES [c]), suffitum aromatum muliebria ducere. Moschum autem intus sumtum, menstruum fluxum proritare, non immerito statui, asserit SCHROECK [d]), allegatque idem asserentes *Iacobum Syluium, Ludouicum Mercatum, Rodericum a Castro, Ioh. Preuotium, Hearnium* et alios. Addit rationem: *Moschus*, inquit, *virtute sua attenuante, non pituitosos tantum humores, obstructiones vasorum vterinorum concitantes fundens, atque resoluens, sed et sanguinem ipsum crassiorem et ad motum tardiorem rarefaciens, inque orgasmum concitans deprehenditur, idque tum externe tum interne in vsum ductus, quare etiam lochia pellit.* BARTHOLINVS [e]) foeminam habet, quae ex solo moschi odore menses suppressos prouocauerat. Crediderim pluribus testimoniis haud opus esse, pro adstruenda veritate, moschum sanguinis circuitum intendere, et corpus calefacere, posterius hoc est necessarius effectus prioris. Sane omnes Medici, qui in febribus, vel in aliis morbis,

b) *Herc. Med. lib. II. c. 3.*

c) *Sect. V. aph. 28.*

d) *p. 148. 149. 150.*

e) *Cent. II. hist. anat. 87.*



bis, vbi pulsus languidus et tardus est, pro excitando illo, moschum praescribunt, eo ipso profitentur, quod ipsi hanc virtutem inhaerere conuicti credant.

§. IV.

EXPERIENTIA III.

Moschus Sanguinem rarefacit, expandit, eiusque Volumen auget.

Haec experientia fundamentum suum habet in antecedente. Rarefactio et expansio sanguinis sequela est; et effectus circuli aucti, et caloris ab aucto circulo, per frictionem et attritum particularum sanguinis, enati. Ex physicis notum est, calorem omnia corpora extendere, in omnem dimensionem, ne durissimis, et solidissimis exceptis. Elegans exstat locus apud BOERHAAVIVM [a]), hac egregie faciens: *Siue sanguis sit duplo copiosior, siue duplo rarior, res est eadem: Respectu vasorum et pressionis, medicamenta, quae augent calorem, et actionem vasorum, idem faciunt, quod facit plethora. Si remedium quoddam sic valet calefacere corpus, vt maior oriatur motus, fiet etiam maior rarefactio.* Prae omnibus autem aliis medicamentis, virosa, aut vaporosa, dum omnes eorum particulae ex sua natura sunt summe subtiles, actiuae et mobiles, facileque expan-

a) *de Morbis Neruorum p. 619.*

pandendae ipse motu et calore sanguinis agitatae, hunc eo facilius et fortius rarefacient. Sine dubio autem haec rarefactio non tantum redundabit in sanguinem stricte dictum, sed et in humores circulantes, sine exceptione omnes. Licebit adeo asserere; illam sese extensuram, ad vltimum et subtilissimum fluidorum omnium, nervosum. Hoc ipsum non potuerunt praetervidere doctissimi Viri ad talia phoenomena attenti. *Lucas* SCHROECK [b]) in tractatu suo *de Historia Moschi* passim vim eius sanguinem rarefacientem explicat, ad eandem prouocat; imo vero eandem vrget. Eum rarefacere humores notat LEMERY [c]); Moschata nimis rarefacere et in motum ciere spiritus, eosque inquietos reddere scribit WEDELIVS [d]) et alio loco [e]), Moschata et alia suaueolentia humoribus maiorem rarefactionem conciliare, dicit. Atque Cel. CARTHEVSER [f]) *Moschus*, ait, cruorem, fluidum nerueum coeterosque humores mirifice expandit. Vidimus antecedente §o moschum excitare haemorrhagias, soloque odore menses eum prouocasse memorat VOGEL [g]). Ecquis autem aliunde hunc effectum, quam ab aucta circulatione, calore et rarefactione sanguinis deduceret?

b) *pag. 96. 97. 108. 136. 145. 149.*

c) *Traité universel de drogues p. 507.*

d) *Amoenit. Mat. med. p. 154.*

e) *l. c. p. 198.*

f) *mat. Med. II. p. 379.*

g) *mat. med. p. 356.*



Ab expositis hactenus Moschi viribus pendet quoque eius *Virtus aphrodisiaca.* De *viribus* eius *venereis* integrum caput conscripsit SCHROECK [h]). Indi, si in Venerem procliuiores esse volunt, ex Bangue, moscho, et ambra, cum sacharo Electuarium conficiunt, referente *Christophoro a* COSTA [i]). Multa recenset pharmaca aphrodisiaca SCHROECKIVS, moschum continentia, variorum Auctorum, *Zacuti Lusitani*, *Mynsichti*, *Timaei*, *Riuerii*, *Cardani*, *Henr. ab Heers*, *Wedelii* etc. pro vsu externo, et interno, pro viris, et foeminis. Operationem sic explicat satis bene [k]): *Moschus sanguinem actiuis calidis spirituosis particulis non sufficienter instructum, iisdem exornat, agitat, et impellit, spiritus animales torpidiores excitat, et quasi viuificat, semini turgescentiam conciliat, eique acrem non nihil stimulantem virtutem imprimit, sicque genitales partes calefacit, inque debitam tentiginem deducit.* Venerem Moschum proritare, scribit FERNELIVS [l]). Membra genitalia virorum mulierumque, nisi Natura a rebus fragrantibus abhorreat, calefacere, asserit VALENTINI [m]). Semen excitare notat LEMERY [n]). WEDELIVS [o]) cum *Salomone Alberti* in censum semen generantium moschum reponit. TRILLER [p]) virtutem aphrodisiacam ipsi tribuit. VOGEL [q]) ex *Brassauolo* lasciuiam

h) *caput XXXIV.*

i) *lib. Arom. c. 55.*

k) *p. 155.*

l) *Method. med. lib. V. c. 26.*

m) *Hist. simpl. p. 308.*

n) *Traité vniversel des drogues p. 507.*

o) *amoenit. mat. med. p. 479.*

p) *dispens. vniuers. Part. II. p. 290.*

q) *pag. 356.*

am in viris et foeminis, mirum quantum ab eo excitari notat. Venereos appetitus excitare etiam affirmat PIDERIT [r]). A longo tempore Confectio alkermes in hos vſus iam fuit commendata, vt praeſtantiſſimum analepticum, et aphrodiſiacum, quae ſine moſcho et Ambra valde iners foret.

r) *Pharm. rat. p. 267.*

§. V.

EXPERIENTIA IV.

Moſchus ſanguinem ad caput congerit, vaſa eius eo obruit et diſtendit, grauitatem eius, ſomnolentiam, temulentiam, inducit, tum et illum ſimul trudit ad pectus, in quo oppletionem, et anxietatem, excitat.

Hic effectus Moſchi ſequitur neceſſario effectus illos, quos praecedentes experientiae exhibuerunt, tanquam ſuas cauſas. Sanguis Syſtole cordis expreſſus, non poteſt non magna vi proiici, per arterias carotides et vertebrales, ad caput. Efficit nempe cor capiti vicinum, vt maiori impetu eo ruat, quam in alias corporis partes, maiorique adhuc nixu excurreret in cerebrum, niſi eius arteriae aliis omnibus minus elaſticae, earumque diſtributiones, divaricationes, gyri, anfractus, ſibi inuicem occurrentes, illius flumen moderarentur. Si

non

non dimidia pars totius massae, VT MALPIGHIVS voluit, sed ea longe minor, HALLERO[a]) iudice, larga tamen satis copia sanguinis continuo versus supremum ventrem proiicitur. Haec diutius ibi commoratur, cum progressus semper sit difficilior, et tardior, refluxu insuper ad cor per venas valde lento itinere succedente. His in naturali statu ita se habentibus, iam moschi virtute Systole validiore enata, calidior et magis rarefactus ab eo sanguis determinetur ad encephalon. Vasa eius ergo plus solito extendentur et diducentur, coaceruataque mouendorum fluidorum ac non expedite satis motorum quantitate, grauitas omnino capitis molesta et dolorosa, atque temulentia necessario debebit excludi. Dum peculiari capite data opera de incommodis Moschi agit Cel. SCHROECK[b]), haec non potuit praeteruidere. Prouocat ibi ad RHASEN[c]), qui iam introspexit, Moschum caput offendere, et dolcrem excitare, et ad ROLFINCIVM[d]), qui Moschum inter causas cephalalgiae refert. Exhalatione calida repletionem capiti a Moscho induci affirmat SANCTORIVS[e]). SENNERTVS[f]), quae vehementem odorem spirant, nocere dicit, quia caput replent, et humores fundunt, ambrae odorem capiti non nocere, sed prodesse, moschi non item, quia odor vehementior. *Robertus* BOYLE[g]), habet

a) *Prim. lin. Physiol.* §. 339.

b) *cap. XVII.*

c) *p. 93.*

d) *lib. II. c. de dolore capitis.*

e) *Comment. in art. med. Galeni* §. 51.

f) *Pr. Med. lib. I. c. 10.*

g) *de insigni effluuiorum efficacia c. 6.*

habet hominem egregium, firmae, ſed perquam ſanguineae temperiei, qui ex odore moſchi violentos percepit capitis dolores, eundem ad functiones ſubeundas ineptum reddentes. Ipſe SCHROECKIVS[h]), Viri generoſi ſexagenario maioris meminit, qui ex moſchi vel leui odore ſtatim de capitis dolore conqueſtus eſt, non niſi narium haemorrhagia leniendo. Dum *Hiſtoriam* ſuam *Moſchi* ſcribebat, pictori egregio delineationem folliculi moſchiferi voluit committere, ſed ille ſtatim, vbi adeo aquis antea macerati odorem hauſiſſet, capitis dolore non ſine lipothymiae praeludiis corripiebatur, vt abſtinere ab opere incipiendo deberet. Merito ergo vir celeberrimus moſchum et ſimilia odorata, eſſe dicit *καρηβαρικὰ*[i]), ſiue caput grauantia, et cerebrum opplentia, cauſasque plethoricas augentia. Talia certe, ſi crebro exhibeantur, extendendo vaſa cerebri eiusque membranarum, natura ſua debilia, non mediocrem earum debilitatem poſt ſe debent relinquere. Rectiſſime eapropter pronunciauit RONDELETIVS[k]), quod ambrae, moſchi et aliorum ſimilium vſus, cerebri neruorumque ſubſtantiam exſoluat. Ob ipſam hanc ſuam operandi rationem in circuitum ſanguinis, eum validum caput tentans appellauit CRANTZ[l]). Neque praeter rem de eo ſcripſit LVDOVICI[m]), quod teneriorum

h) *p. 94.*

i) *p. 96.*

k) *meth. cur. morbos lib. I. c. 23.*

l) *p. 152.*

m) *in pharmacia moderno ſeculo applicanda p. 359.*

et



et exhauſtorum hypochondriacorum caput, aeque ac alia fumoſiora repleat. Vidi hunc effectum non ſine admiratione. Pro ſedando paroxyſmo aſthmatis ſpasmodici ſumſerat Celſiſſimus quidam Princeps, hypochondriacus, doſin pilularum, quae duo grana moſchi habebant. Tantum vero aberat, vt per illas lenimen obtineret, vt potius mihi accerſito ediceret, ſibi caput ita graue videri, ac ſi plumbeum eſſet, atque ſe penitus ſtupidum, temulentum, et ebrium eſſe, quaſi ab epoto vino. Verum ſine reſpectu ad hypochondriacos, moſchum forti expanſione cruoris, coeterorumque humorum, perſaepe capitis dolorem, vertiginem, lipothymiam, maxime apud plethorica ſubiecta, prouocare, obſeruauit CARTHEVSER[m]). Dum de viribus eſſentiae Ambrae agit Cel. SCHVLTZIVS[n]), Profeſſor olim apud Halenſes doctiſſimus, ad medicos vſus melius adhiberi illam dicit ſine moſcho, vtpote caput longe minus feriens. Maiori impetu quam naturali ferri ſanguinem ad caput ab eius vſu hocque eodem oppleri, ex eo liquido apparet, quod facile haemorrhagiae narium, BOECLERO[o]) teſte, inde ſequantur. Narrat Vir clariſſimus, ſe noſſe ſubiectum quoddam, quod protinus quotiescunque moſcho infecta vel bellaria vel polenta aſſumſit, haemorrhagia corripiatur.

m) *Tom. II. pag. 379.*

n) *de viribus et vſu medicamentorum p. 126.*

o) *in Notis ad Herrm. Cynoſ. Mat. med. p. 40.*

Ex

Ex his omnibus perſpicitur quoque, quae Moſcho ineſt, vis inebrians, quaeque intenditur, ſi ſpirituoſis potulentis admiſceatur. Cl. SCHROECK[p]) *Libauium* citat, qui, poſtquam Moſchi et Ambrae odorem fortiorem caput grauare annotaſſet, deinde pergit: Ideo inebriantur cito, qui ſupra ambra et moſcho bibunt vel ex vaſis ambram et moſchum olentibus; deinde etiam adducit *Ioh. Baptiſtam* PORTAM[q]), qui moſchum vino additam ebrietatem exaſperare notat. Tandem hoc phoenomenon explicaturus Vir Celeberrimus, Spirituoſa, ſpirituoſis iuncta, ait, caput dum adſcendunt citius replent feriuntque et ſanguinem plus iuſto rarefaciendo vaporesque excitando, tum in reliquo corpore, tum in capite, imprimis turbare valent omnia, ac ſpiritus animales inordinatos in motus et confuſiones compellunt.

p) *Cap. XVIII. p. 95.*

q) *Magiae nat lib. XIII. c. 12.*

Equidem omnia ſpirituoſa, vinum, ſpiritus vini, aquae minerales, ob ſubtile volatile elementum, quod vehunt, caput opplent, et grauant, id autem praecipue datum fortem odorem ſpirantibus, graueolentibus, ſed maxime ſuaueolentibus. Suffitum aromatum ſaepius ad alia vtilem futurum, niſi capitis grauitates induceret, edixit HIPPOCRATES[r]). De ſuaueolentibus iam pronunciauit PLINIVS[s]), quod vaſtitate odoris capita, et pectora repleant.

r) *lib. V. aphor. 28.*

s) *Hiſt nat. lib. 31. c. 6.*

pleant. Porro quoque GALENVS aerem grauibus odorum effluuiis foetum et infectum, non esse amicum animalis respirationi, sed peregrinum, alienum et perniciosum declarauit[t]); et alibi[v]), omnia odorata vehementiora caput laedere, grauare, implere, et ad delirium interdum cogere. Prouocaui olim ad BOERHAVIVM[x]) qui narrasse sibi Pharmacopoeos scribit, et Aromatarios, quando magnas sarcinas validiorum Aromatum recens ex Asia acceperunt, camphora, croco, similibusque repletas, tunc si subito eas sarcinas resignauerint, se et famulos insuperabili somnolentia obrui. Narrat de se ipso Cel. TRILLERVS[y]), quod Amstelodami, ingressus spatiosum Societatis Indiae orientalis Penuarium, aromatum odoribus refertum, iis subito vertigine, sensuum stupore correptus, pectoreque oppressus fuerit, vt nisi protinus pedem titubantem retraxisset, concidisset sine dubio. Retuli ego, Iuuenem a Parente meo Mercatore iussum, in cella ex cista grandiore caryophyllorum et florum maceris aliquot libras peteret, et sacculis chartaceis inderet, non rediisse, inuentumque fuisse ante cistam iacentem soporosum. Aliquot etiam historias allegaui de croco, ex *Cardano*, *Wepfero*, *Borello*[z]), quibus iam addo GEOFFROY[a]), qui varias de croci vi inebriante exhibet. Ipse vidi vxorem Aromatarii, qui

t) *lib. VII. de vsu partium c. 10.*

v) *libro de instrumentis odorasus c. 6.*

x) *in libro meo de Vsu Opii Sect. I.*

y) *Praelect. in instit. Vol. IV. p. 520.*

z) *de morte subita ex odore Violarum §. 24.*

a) *Vsus Opii Sect. I.*

b) *Tom. II. p. 286.*

qui in conclaui paruulo calefacto crocum puluerisatum in minutas portiones diuidebat, chartulisque indebat, praesto futurum qui petentibus statim distribueretur, subito in terram prolapsam, et instar apoplecticae iacentem. Spectat huc tristissimum fatum venustae illius Virginis, quae morte subita ex violarum nimio odore periit, elegantissima et eruditissima dissertatione a Cel. TRILLERO [c]), descriptum, quae decies legi meretur. In ea simul varia exempla recenset [d]) ex variis Auctoribus fide dignis, multis rosarum odorem exitiosum, et funestum adeo saepe fuisse; atque tandem ex multis solide disputatis concludit, plus damni ac periculi sanitati, ipsique vitae, metuendum esse a suaueolentibus, quam a graveolentibus [e]). Vidit BOERHAAVIVS Amstelodami cameras, vbi Animal Zibethicum asseruabatur. Fere inebriari dicit, qui primo eas subeunt, foeminam teneriorem autem certe animo linqui [f]). Eandem certe vim inebriandi habet Moschus, parum enim vel nil discriminis ipsi cum Zibetho intercedere, cum CARTHEVSERO [g]), multi alii fatentur. Refert TAVERNIER [h]) de animali moschifero sequentia: *Odor huius Animalis, quod mecum adduxi in Vrbem parisiensem, erat adeo fortis, vt prorsus impossibile esset, id locari in conclauibus meis. Omnium qui domum meam inhabitabant capita*

c) *habetur in eius Opusculis medicis.*

d) *§. 29.*

e) *§. 33.*

f) *vide in Praelect. in instit. §. 1112. ad vocem singulares.*

g) *II. p. 379.*

h) *dans ses 6. Voyages en Turquie en Perse & aux Indes Part. II. lib. II. c. 24.*

 petebat,



petebat, et obnubilabat. In elatiorem ergo Aedium partem transferendum erat, domestici mei tandem ipsi abscindebant Vesiculam, moschum continentem, sed hoc facto nihilominus pellis semper retinebat hunc odorem. Si vesica alicuius naribus admoueretur, statim ob fortissimum odorem, sanguis ex illis prorumperet. Velim, vt hic lectores mei reminiscantur Nosocomii, per omnes tractus moschi odore infecti de quo §. II. verba feci. Omnia talia suaueolentia effluuia, quae ex corporibus odoriferis vegetabilis et animalis regni iugiter plenoque flumine in auras sese diffundunt, quamdiu in aere libero vagantur, perenni noui aeris accessu ventilantur et dissipantur, feruntur que impune; quando autem exhalantes eiusmodi vapores clauso et angusto spatio colliguntur, detinentur, coercentur, idque totum his impleatur, tum sane concentrata vi in neruos et sanguinem agendo, non tantum grauitatem capitis, somnolentiam, temulentiam excludunt, sed et ipsa sanitas et vita in discrimine versari potest, atque, vt TRILLERI, omnia haec fuse explicantis, verba mea faciam [i]); partibus neruosis narcosis, et deinde, vt triste miserandae puellae, violarum odore subito extinctae, fatum probat, etiam necrosis induci. Neque oblitus est hac occasione Vir eruditissimus meminisse Ambrae, Moschi et Zibethi [k]), notumque esse abunde, ait,

i) §. 17.

k) §. 25.

ait, ex compluribus Autoribus, qui de pretiosis his peregrini Orbis mercibus commentati fuerunt, quanta mala, in sexu praecipue foemineo, ex illorum copiosis et diuturnis exhalationibus saepissime oborta fuerint. Cogitemus nunc, quando Moschi effluuia per aerem volitantia laedere corpus humanum apta sunt, sique spatio arctiori inclusa fuerint, non sine magnis mutationibus inductis feruntur, capitique grauitatem et temulentiam inducunt; nonne hos effectus facilius praestabunt, et certius, quando dosi minori maiorique ingestum hoc medicamentum intra cancellos corporis humani ad tempus detinetur, caloreque eius soluti exaltati, subtilisati atomi, sanguini et succis intime admiscentur, et cum iis, versus caput praecipue, simulque per omnia vasa maiora, minora, minutissima propelluntur, antequam perspiratione eliminentur: Castorinis non nimium fidendum esse, in spasmorum medela, quia non parum nimius eorum vsus nocet, monet HOFFMANNVS [l]), dum anodyno illo vapore, et capiti et neruosis partibus imbecillitas inducitur, quae nunquam sine periculo sit. Nonne sincerum hoc monitum extendi etiam meretur ad moschum, aeque vaporosum, ac castoreum, longeque maioribus dosibus exhiberi solitum, quam hoc exhibetur. An a dosibus his, maxime si crebrius repetantur,

l) *Med. Syst. Tom. IV. Part. III. p. 177. 178.*



tur, nulla capiti et neruis imbecillitas induceretur? Imo inducitur ſine dubio. Bene recordor Iuuenis dyſenterici, cui per aliquot dies moſchus largioribus primo, deinde parcioribus doſibus fuerat exhibitus. Die ante mortem coram me conquerebatur, de inſigni grauitate totius capitis, quaſi pondus accipiti ad haereret, quo retrorſum traheretur; de ſenſu moleſto in oculis, ac ſi grandeſcentes protuberarent; de ſpiſſis nebulis ante eos verſantibus, et claram obiectorum diſtinctionem impedientibus. Recordor Puellae, quae ſub vſu moſchi, per aliquot dies ſui ipſius non conſcia erat, et perpetuo ſomnolenta iacebat, tandemque, ceſſante eius vſu, ſibi iterum reddebatur. Noui, Viro, pro excitando debili pulſu, a febre acuta pectorali poſt VSes et diarrhoeam largam enato, datum fuiſſe moſchum largioribus doſibus, per 5. dies qui nunquam ſibi redditus fuit, ſed ſomnolentus, temulentus, delirus permanſit, donec talis moreretur.

§. VI.

Quando ego nunc omnia Phoenomena, per Experientias hactenus adductas, quas a tot Clariſſimis Viris obſeruatas, et conſtanter veras deprehenſas, ridere et negare ineptum foret, accuratius contueor, non poſſum non clariſſime introſpicere; magnam dari inter actionem moſchi et Opii, in corpus humanum, conuenientiam,

tiam, et analogiam. Mofchus in neruofum fyftema agens circulum intendit, calorem auget, fanguinem rarefacit, aphrodifiacum eft; rarefactum cruorem copiofius pellit ad caput. Omnes hos effectus praecife edit Opium, id quod in meo Opere de vfu eius falubri et noxio euictum reddidi. Quod fi praeterea per experientiam conftet, id quod omnes Mofchi fautores vrgent, quodque inter alios ipfis fubfcribentes affirmat PIDERIT [m]), Mofchum etiam effectum antifpafmodicum et anodynum exerere, morbisque fpasmodicis et conuulfiuis medelam adferre, de qua quidem virtute in fequentibus data opera difpiciam, noua inter operationem vtriusque remedii enafcitur fimilitudo. Ambabus igitur manibus et pleniffimo affenfu amplector fententiam Ill. TISSOTI [n]), quando afferit, Mofchum operari vt Opium, ita quidem, vt determinata dofi fere huius loco ille adhiberi, atque huic fubftitui queat.

m) *p. 267.*

n) *de Epilepfia p. 280. edit. germ.*

§. VII.

Iam his omnibus praemiffis, praefuppofitis et ftabilitis, potiores morbos, in quibus fanandis Mofchi vires a Celebribus Viris extolluntur, confiderationi accuratiori, rigidiorique examini fubiiciam, parum curans elogia largiter promulgata, et vltra meritum remedii extenfa. Singulorum morborum genuinae et verae ideae ante oculos

oculos habendae ſunt; cauſaeque proximae inquirendae; tumque indicationes therapeuticae formandae; ac tandem videndum, an his implendis actiones et operationes moſchi in corpus conueniant, an potius ipſis contrarientur. Tum demum enim rationalis medendi Methodus inuenietur et eluceſcet, a coecis et empiricis auſibus et conatibus, atque triuiali Praxi longe diſtans. Sine ratione in ſubſidium vocata omnia experimenta tumultuaria ſunt, ambigua et periculoſa. Ordiar ab *Hydrophobia*. Familiaris eſt Sinenſibus vſus moſchi. ANDREAS RIED, inter eos commoratus ad tempus, *contra morſum canis rabidi*, pulueremex moſcho et cinnabari ab iis adhiberi viderat, in Angliam deinde redux, eius effectum collaudabat, vt moris eſt, extollere ea, quae peregrinas oras iter facientes obſeruauerant, tanquam noua, et inaudita.

Hydrophobia.

Ego quidem, vt nil diſſimulem, Medicinam a Sinenſibus non libenter addiſcerem, atque pollicitationibus, experimentis et experientiis eorum, non multum mouerer. Vniuerſa eorum Theoria et Praxis omnibus, in eam inquirentibus, miſerrimam ſeſe ſiſtit. Doctior certe non receſſi, a peruoluto ante plures annos CLEYERI, Societatis

tatis indicae in noua Batauia Archiatri, *specimine Medicinae Sinicae*, sex autorum diversorum, partim Sinensium, partim Europaeorum, ad mentem Chinensium, medica opuscula de pulsibus, morborumque iudiciis, ex linguae coloribus et affectionibus, continente. Non sane in magnum honorem ipsis cedunt, quae de iis scripsit SCHELLHAMMERVS [b]): *Fidem habere iis prorsus nequeo, quae de Chinensium Medicis, ab orientalium rerum scriptoribus, referuntur, ex solo pulsus tactu, omnes causas, etiam externas et fortuitas, totiusque morbi decursum, omnia accidentia, quorum etiam nullam amplius apparet vestigium, cognoscere, et aegris et adstantibus posse enarrare. Pugnant enim haec, aduersa fronte, cum recta ratione, et ex historia motus cordis, vanitatis manifesto possunt accusari, ita, vt vel clanculum haec Medicis fuisse antea comperta, vel callido artificio expiscata, vel denique malis artibus, ac magicis incantamentis daemonibus extorta, planissime patent.* Accuratius autem multo, totam, luderam certe, faciem Medicinae Sinicae ita exhibet *I. B. du* HALDE [c]), Soc. Ies. *Quia Sinenses nulla gaudent cognitione Physices; non versati sunt in Anatomicis; ignorant vsum partium corporis humani, consequenter etiam causas morborum; et quia illorum scientia systemati de structura corporis humani parum certo innititur, non mirum est, quod eos progres-*

b) *add. ad Conringii introduct. cap. VI. §. 4.*

c) *Description Geographique, historique, chronologique, politique, & physique, de l'Empire de la Chine à la Haye 1736. Tom. III. p. 461 seq.*



progressus in Medicina non fecerint, *ac Medici Europaei.* Duo Principia naturalia vitae statuunt, calorem vitalem, et humidum radicale, sedem prioris in intestinis, pericardio, vesicula fellis, vreteribus, ventriculo, ponunt; posterioris in corde, hepate, renibus, pulmonibus et liene; de modo, quo haec duo principia agant, et quid agant, adeo ludicrae recensentur historiolae, vt has ineptias transcribere taedeat, et pigeat. Corpora agentia externa in corpus humanum numerant quinque, ignem, aerem, aquam, metalla, et terram. Tota pathologia, et Semiotice risum mouere debet legentibus. In doctrina de pulsu sunt expertissimi, et curiosissimi Magistri. Diuersa loca statuunt, in quibus is explorari debeat, quem in mare, et foemina, diuersum sibi fingunt; miras instructiones Medici Sinenses subministrant, vbi et quomodo tangendus sit; colorem aegri cum pulsu comparari volunt, varia nugantur de pulsu cordis, hepatis, ventriculi, pulmonum, renum. Paucis dicam: doctrina de pulsu adeo est ridicula, vt vix credi potest, vel semisana ratione praeditos homines eiusmodi tricis et figmentis indulgere posse. De remediis, quae adhibent, nil dicam, omnia nimirum ad me iam non spectant, dispiciam tantum de Moscho [d]).

d) *p. 603 sq.*

Moschum

Moſchum eximendum volunt ex aperta veſicula ſtatis diebus anni. Vires eius, ſecundum auctoritatem variorum Medicorum Sinenſium, valent contra prauitatem aëris, contra inſecta, in ventriculo et inteſtinis generata, febres intermittentes, contra mala ventriculi, maculas oculorum, pro facilitando partu, contra inſomnia turbulenta, morſus ſerpentum, quia animal moſchiferum veſcitur ſerpentibus; contra ſterilitatem, teneſmum, pauores infantum, morbos partium naturalium, contra melancholiam, contra morbos potatorum; contra malam digeſtionem, flatus, phlegma, et omnes prauos humores et, vt aſſeritur, contra centum alios morbos. Sequuntur formulae, contra morbos a flatibus, pauores infantum, eorumque morbos, quando excrementa aquoſa deiiciunt; contra vulnera, mala cordis, nauſeam, ventriculum refrigeratum a fructibus horaeis, cephalalgiam, pro accelerando partu, quod remedium pretioſius dicitur auro, pro pellendo foetu mortuo, contra haemorrhoides, morſum glirium, contra inſecta, quae dentium dolores producunt. De morſu canis rabidi ſpeciatim nil inuenio.

Ab eiusmodi confuſis capitibus, thraſonibus, impoſtoribus, mendacibus, in fa-

bulis, fraudibus, superstitione, figmentis cerebrinis, sibi placentibus, ego quidem curationes morborum discere, depraedicatasque imitari nollem. Fidem tamen illae in Anglia inuenerunt. Commendatus fuit *puluis tunchinensis* dictus a citato RIED, (qui ipsum, ad modum Sinensium, cum spiritu vini sumendum praecepit:) et publici iuris factus, deinde et ab aliis, in *transactionibus philosophicis* fuit laudatus [e]), porro etiam a *James* [f]) et *Cob.* Propagata quoque elogia in Galliam, vbi Cel. SAUVAGES approbationem acquisiuit [g]). Litteris acceptis a COLLINSON persuasus Cl. GMELIN, peculiari dissertatione, Specificum antidotum nouum contra effectus morsus canis rabidi, promulgauit. Hacque iterum motus KLEIN [h]) *Talia generosa*, inquit, *ad tam arduum malum requiruntur media. Nam quid multum hic faceret Puluis Palmarii, et Acetum antilyssicum Hannemanni?* Sic magno Autoritatis praeiudicio comite celebris redditus ille *Puluis Tunchinensis* vel *Poudre de Cob*, varias Regiones sensim peragrauit, atque contra rabiem caninam fuit adhibitus. Magnam vero etiam famam in Anglia obtinuit *Puluis antilyssus*, qui, inuentore et Auctore MEADIO curante, *Pharmacopoeiae Londinensi* insertus fuit, ex lichenis terrestris partibus duabus, et piperis nigri parte vna compositus. Tantam vero in illum locauit fiduciam

e) *Vol. 43. p. 215. 216. 226.*

f) *a new method of curing.*

g) *diss. sur la Rage p. 34.*

h) *in Selectu rationali Medicaminum p. 100.*

ciam Vir insignis, vt si saltem methodo, quam praescribit i), quae VSe, vsu huius pulueris, et balneo frigido absoluitur, maturè tractetur demorsus, id est antequam aquam reformidare incipiat, et antequam febris ad acumen perueniat, expertus credat, illum effecturum, vt tota calamitas arceatur. Reliquas omnes curationes, licet complures tentauerit, nullum successum ex iis se vidisse refert. Inter varia alia remedia tentasse se etiam dicit, celebre Indorum remedium moschum, sed omnia incassum, quia nimis sero k). Recenset deinde ex Epistola quadam BOERHAAVII, binos casus Aegrorum, aliter tractatorum meris antiphlogisticis remediis, nil de moscho habentibus, quorum vnus feliciter cessit. Sed addit MEADIVS, vsum coeptum esse quatuor diebus antequam aquae formido inciperet. Rebus iam desperatis, largae VSi, nitrosis medicamentis, potui copioso subacido refrigeranti, vnice fidit, vt plurimum autem, quod Graeci de desperatis morbis dicunt, verum deprehendi, ait, *Mors Medicus sanat*. Notatu dignum est, BOERHAAVIVM l) dum remedia recenset, quorum nullius hactenus comperta fides, in hoc catalogo, quem exhibet, etiam non excipere in coelum elatum lichen cinereum terrestre, quod tamen MEADIVS adeo extulerat. In methodo prophylactica, et tentanda curatione

i) *de Venenis, Operum medicorum Tom. II. p. 131. 137. edit. Goetting.*

k) *p. 134. 135.*

l) *aph. 1147.*

tione

tione morbi iam praesentis, maxime in priore gradu et secundi initio, quam vtrumque tradit BOERHAAVIVS [m]), ne verbulum de Moscho habetur. Meminit, verum est, *van* SWIETEN [n]), sed tantum ex commendatione aliorum, non ex propria experientia, pulueris ex moscho et cinnabari, sed recenset potius, constitisse per obseruata, quod profuerint in hoc morbo praeparationes mercuriales, absque moscho. Methodus L'ASSONET, iussu Regio publicata, iungit vt aliis multis, cum mercuriali vnguento puluerem moschi, sed impudentis esset, huic elogium decernere, cum nesciamus, quid inter reliqua boni praestiterit. DESAULT [o]) omnia dat vnguento mercuriali affricto, de moscho tacens. TISSOTI [p]) remedium palmarium est frictio vulneris cum eiusmodi vnguento; habet quoque inter medicamenta No. 30. puluerem illum ex Cinnabari et moscho, sed, quod solerter notari velim, adiicit simul in notis, se ilum adducere ob famam, quam acquisiuit, dari autem remedia multo efficaciora, quam moschus, bolumque aliquem eo loco commendat, quem moschus non ingreditur. Sine dubio de eius virtute valde dubitat TRILLERVS [q]), candide nempe exoptat, vt ea contra hydrophobiam certior reddatur, et vt vera stabiliatur.

m) *aph.* 1143. 1144.

n) *Tom. III. p.* 581.

o) *diss. de la Rage.*

p) *Avis au Peuple p.* 218.

q) *disp. univ. Part. II. p.*

Quid

Quid igitur ſtatuendum erit iure meritoque, de eius adhibitione, in tremenda hac aegritudine? an vbi illi efficaciter obviam eundum generoſa medela, Medicus, inflatus magna fiducia altumque ſonantibus pollicitationibus, magnis doſibus ipſum praeſcribere, an tanquam remedium inconveniens, inefficax, incertum omittere debet? Nullus ego haereo, quin ipſum non ſaltem nil boni praeſtare, ſed certum nocumentum afferre, conuictiſſimus declarem. Sane ſi facultate et vi iuuandi vlla polleat, aut debet agere tanquam veneni, quod ſaliva rabioſi animalis demorſo et vulnerato inſinuauit, antidotum; aut debet id poſſe expellere, quantocius, ex corpore, antequam labem ipſi affricandi tempus ſufficiens obtinuerit; aut debet morbum, quem venenum cum ſymptomatibus excluſurum eſt, aut iam excludere incipit et excluſit, oppugnare poſſe, et ſanare. Nemo quod ſciam, hactenus aſſeruit et demonſtrauit, moſchum ita exuere ſua vi et deſtruere hoc venenum, vt lac et oleum arſenicum; alcali et abſorbens oleum vitrioli; acetum ſal tartari, inuertit et obtundit. Quodſi autem aliquod verum eius antidotum detur, annuente experientia, Mercurium mereri, vt pro eo habeatur, et declaretur, rectiſſime pronunciat TISSOT [r]); magna ergo Mercu-

r) *Avis au Peuple Tom. I. §. 194.*

 rius

rius prae Moſcho gaudet praerogatiua. At vero hic tempeſtiue datus venenum ex corpore expellit, ita enim inter alios loquitur PIDERIT[s]): *Ad funeſtos effectus, qui a morſu canis rabidi oriuntur, et ad hydrophobiam, praeſcripta moſchi portio, minimum ad dimidium ſcrupulum exhibenda eſt, pro vna doſi, poſt, quam tantus ſudor ſequitur, vt ſaepe per 48 horas duret.* At hoc intuitu, non praecellit Moſchus aliis omnibus volatilibus, quippe quae aeque ſudores potenter mouent. Praeterea vero quaeſtio magni momenti naſcitur, an expediat calido remedio humores valde exagitare et expandere; hac methodo venenum diffundere, per omnem maſſam; huic id intimius admiſcere, atque liquida tenuia, quae vario reſpectu conſeruanda potius in futuros vſus erant, quam profundenda, plenis riuis eiicere, ſub euanida forte ſpe, eiiciendi Veneni. Si ſudorifero opus, BOERHAAVIO teſte[t]), certius efficaciusque ignoramus, quam acetum, quod dilutum aut merum ſi potetur, maxime ſudores propellit, ſimulque antiphlogiſticum eſt, et aliis dotibus, pro hoc morbo infringendo laudandis, pollet, quibus moſchus non inſtructus eſt. Quando eius curationem prophylacticam tradit Vir eximius[v]), vult, vt omni mane demorſus *parum* ſudet, (non plenis riuis, per 48. horas) aſſumto aceto aromatico, ſale marino et aqua calida.

Haec

s) *p. 267.*

t) *in Chemia II. p. 186.*

v) *aph. 1143. no. 4.*

Haec motum humorum non nimis incitant, non nimis eos agitant, et incalescere faciunt. Monet ad hunc locum *Commentator*, quia venenum vim habet in putredinem liquida soluendi, atque haec ita in cadaueribus inuenta sunt, acetum et sal, aquae mista, resistere putredini, et per *vaporosum sudorem abstergi cutem, et si quid adhuc de veneno cuti affixum haereat, remoueri, maxime si simul locus demorsus interea foueatur linteo, posca calida madido.* Apparet simul, non nisi blandam transpirationem, neutiquam autem vi expressum sudorem, conducere, simul illam mouendam esse in loco vulnerato, vt nempe per eandem portam, per quam Venenum ingressum est, id eliminetur. Namque in eo praecipuus rerum cardo vertitur, vt totus locus affectus diu apertus seruetur, vstionibus, scarificationibus, cucurbitis, et in perpetuam suppurationem adigatur. Plenarium his moliminibus assensum praebet *Dau. de* GORTER[x]), Certa fide, inquiens, nullum specificum extinguens illud miasma detectum fuit, sed a praestantissimis in arte viris in ablatione contagionis per cucurbitas, inustiones, abluitiones curatio ponitur, quare materiam medicam Hydrophobiae adiicere non potui. Hunc externum apparatum summe necessarium esse, vel ex eo apparet, quia vulnus sua sponte clausum post hebdomades et menses, quando aegro-

x) *Mater. Med. p.* 155.

 tare



tare incipit homo, denuo dolere incipit, cicatrix eius intumeſcit, rubet, ſeſeque aperit, effluente acri et male olente humore.

Probaui hactenus, moſchum nec eſſe verum antidotum veneni; nec id tuto ab eo ex corpore proſcribi, iam adhuc mihi incumbit, vt commonſtrem, moſchum Morbo ipſi, et eius Symptomatibus leuandis prorſus non quadrare. Equidem Ill. TISSOT [y]) duo momenta requiri ad curationem dicit, eam exhaurientia, deſtructionem veneni per antidotum, mercurium; et quoniam id producit omnium neruorum irritationem, huius inhibitionem per antiſpaſmodica. Nonne autem Moſchus eſt vbique depraedicatum magnum antiſpasmodicum? In hanc eius virtutem nondum inquiſiui, in ſequentibus larga mihi naſcetur occaſio, hoc ipſum praeſtandi. Ponatur interea vis moſchi antiſpasmodica tanquam extra dubium poſita et certiſſima, ſed notari debet, moſcho ipſi vitia nonnulla adhaerere, quae illi virtuti multum praeponderant. Obſeruavit, vt antea vidimus, MEAD, fronte capillatam eſſe, poſthaec caluam iuuandi occaſionem, opemque ferendam homini eſſe, antequam hydrophobus reddatur, et febris exoriatur, tunc enim parum ſalutis amplius expectandum eſſe. An autem vellemus febrem, quae bona fortuna nondum adeſt, circulum augente et calorem ſanguini conciliante

y) *p. 215. avis au Peuple.*

liante remedio, studio inuitare, et accersere? Vult BOERHAAVIUS, vt morbus iam praesens maxime in primo gradu, et initio secundi, tractetur vt summe inflammatorius. Nil exitiale magis dicit z), quam acerrima calefacientia, exsiccantia, neruosum genus exacerbantia, quae in hoc statu pro venenis declarat. An autem inter antiphlogistica, quae vnice indicantur, referri posset remedium, phlogisticum potius dicendum, quia commotum sanguinem rarefacit, et eius calorem vltra naturalem euehit; quodque in neruosum genus, cui toties aduersum est, valido stimulo agit? Veniamus ad vrgentia symptomata hydrophobiae, respirationem difficilem, anxietates, vigilias, conuulsiones, delirium, saepe ad furorem vsque increscens, aestum, priapismum, vt alia horrenda taceam. Non negari potest, moschum sua naturali actione, in sanis parere pectoris oppletionem, oppressionemque; conuulsionibus et deliriis, raptui humorum ad caput ortum debentibus, cui ipse fauet, non posse mederi; aestui id esse, quod est oleum camino iniectum; priapismo maius calcar addere, quia est validum aphrodisiacum. Quis igitur sana ratione vtens illum leuare posse memorata symptomata assereret? Dum in cadaueribus cum sinubus cerebri omnia venosa vasa distenta et sanguine plena, omnes arteriae ence-

z) *aph. 1145.*

 phali



phali multo ſanguine refertae, pulmones cum corde coaceruato omni fere cruore incredibiliter oppleti inueniuntur, an conſultum foret, exhibere, magnis praecipue doſibus, quae ab amicis eius vrgentur, dare remedium, quod ſua natiua dote ſanguinem ad ſupremum corporis ventrem, vt et verſus medii vitalia viſcera, valide propellit, ſicque data opera, miſeri aegri fatum maturare? Sane qui omnia a me propoſita, comparare cum idea Rabiei caninae, vel obiter voluerit, conuictus profiteri debebit, nil minus quam ſpecificum contra illam moſchum haberi debere, quidquid etiam de eo ipſius Patroni promittant. Non opus eſt, vt longior ſim, id nempe vt lucidum aliquod meteoron, in coelo britannico primo exortum, cito in vapores ſolutum euanidos, diſparuit. Alia denuo auxilia hydrophobiae quaeſita ſunt, manifeſto documento, quod illud expectationi haud ſatisfecerit, ipſaque ad tempus famoſa Meloë cum omni ſua vi melle ſuffocata et emortua videtur.

Vt clarum euadat, ſpem, quae in rabie canina ſananda collocatur in moſchum, euanidam et nullam eſſe, liceat apponere caſum, qui habetur *im 29. Stück des hannöverischen Magazins*, a Cel. BAUSEN eidem inſertum. Vulnus aegri demorſi dilatatum eluebatur ſaepius aqua ſalita tepida. Quotidie eius peripheriae applicabatur drachma

vna

vna vnguenti neapolitani, ipſi autem, vnguentum baſilicum. Exhibebatur ſingulis trihoriis celebratus puluis tunchinenſis, mane et veſperi autem bolus ex ſerpentaria virginiana, camphora, et aſa foetida. Haec vero omnia fruſtranea fuiſſe, exinde liquido conſtabat, quia apparente et increſcente ſaliuatione, paroxyſmus ſenſim decreſcebat. Omnia interna remedia igitur ſeponebantur, continuabatur vnguentum mercuriale; ad promouendum ptyaliſmum, quia ab hoc totum auxilium dependebat, quod poſt 3 hebdomadas feliciter impetrabatur. Vix concipi poſſe dicit *Bauſen*, quod notitia certi remedii, ſaliuationis, in diro hoc morbo, adeo diu Medicos latere potuerit.

§. VIII.

Accedo ad *motus conuulſiuos*, in quibus ſanandis magnam famam aſſecutus eſt moſchus, an ex merito, an minus, paucis videbimus. In ipſo limine tractationis huius ſtatim noto, paradoxum omnino videri debere perpendentibus, moſchum aeque in paralyſi, quam in conuulſionibus, commendari. Illuſtr. BOERHAAVIVS [a]), *Moſchus*, inquit, *poteſt ita afficere neruos, vt ſimulac eius odor percipiatur, mox oriantur diriſſimi ſpaſmi, maxime in hypochondriacis, et hyſtericis, ergo miram habet efficaciam in ſyſtema neruoſum, hinc, cum in paralyſi* indigea-

Motus conuulſiui.

a) *de Morb. Nerv. cap. de paralyſi* p. 744.



indigeamus tremoribus concutientibus, *quos* HIPPOCRATES *et* ARETAEVS *adeo commendat*, *Moſchus certe princeps eſt.* Ill. *van* SWIETEN [b]), dum catalogum remediorum antiparalyticorum exhibet, inter alia ſcribit: *Moſchus*, *Zibethum*, *Caſtoreum calefaciunt*, *excitant*, *mouent*, *et hoc effectu pulchre proſunt.* Sane Paralyſis et Conuulſiones, morbi ſunt e diametro ſibi inuicem oppoſiti; in illa ſummus defectus motus muſculorum; in his, ſummus exceſſus. Paradoxum ergo omnino videtur, vnum idemque remedium, quod diriſſimis ſpaſmis, quos inducere aptum eſt, motus deficientes excitare valet, etiam motus ad diriſſimos ſpaſmos vſque excedentes refraenare, ſiſtere et cohibere debere. Sed his manifeſtis contradictionibus non obſtantibus, moſchus multum laudatur, ad compeſcendos motus conuulſiuos, in *tranſactionibus philoſophicis anglicanis* [c]). Moſchi vires vrgentibus conuulſionibus non ſemel ſe expertum dicit MEAD [d]). WHYTT [e]) in ſpasmodicis et conuulſiuis affectibus, vt in ſubſultibus tendinum, Moſchum laudat; idem facit GALEATI [f]). Hos ſequuntur materiae medicinalis, et rerum pharmaceuticarum ſcriptores VOGEL, PIDERIT, CRANTZ, et alii. VOGEL [g]) egregiam opem praeſtare in morbis conulſiuis affirmat ad *Ioh.* WALL in tranſact. philoſoph., et alios prouocans.

b) *Comment. III. p. 378.*

c) *Vol. 43. pag. 217. et 234.*

d) *Monit. med. p. 21.*

e) *Nervenkrankheiten p. 279. 280. 336.*

f) *in inſtit. bononienſ. Tom. III.*

g) *p. 355.*



cans. FIDERIT h) obseruationes docuisse ait, quod Moschus profuerit in morbis conuulsiuis. CRANTZIVS i) laudes a *Galeati* promulgatas recensens, non tamen addere oblitus est, *quod hic, et casus excitet, salute non exceptos.* Sane hoc ipsum, nemini in arte versato mirum haberi poterit. Quando placida mente, et sine praeconcepta opinione, agendi rationem moschi expendimus, casusque, in quibus leuamen attulisse refertur, cum illis, vbi nil profuit, comparamus, absolute conuinci debemus, multum abesse, vt in conuulsionibus, sine exceptione omnibus, opituletur. Igitur aequi et boni, et circumspecti agnoscere tenemur, cauendum esse, ne nimium ipsi tribuamus, et inconsiderate ad praescriptiones conuolemus. Ipse Cl. WHYTT k), fautor et amator Moschi, quando curationem affectuum spasmodicorum, et conuulsiuorum, tradere aggreditur, qua est doctrina et perspicacia, plenariam eorum therapiam et prophylaxin in eo consistere docet, vt diuersae causae, ipsos producentes, tollantur et praecaueantur. Quid vero faceret ad plethoram, impetum febrilem, pituitam, acrimoniam variam, vermes, haemorrhagias suppressas, exanthematicam materiam, intus latitantem aut retropulsam, quae omnia toties conuulsiones excitant, cum omnibus suis viribus, moschus? Imo vero plethoram, et impe-

h) *p.* 267.

i) *Tom. I. p.* 152.

k) *p.* 333.



impetum febrilem potius iuuaret. Nisi ergo hae causae remoueantur, effectus earum, motus exorbitantes, cessare haud poterunt. Poterat equidem aliquis obiicere, causa etiam nondum expugnata, interea in neruos agere Moschum aliumque eorum fluido motum inducere, sicque motus exorbitantes interim coercere, donec illa causa remota sit; porro quoque, in conuulsionibus sine materia, e. g. a pathematibus animi, vbi sola spirituum ataxia adest, a nimia irritabilitate et sensibilitate neruorum, hac ratione opem ferre. Plausibilis videtur haec obiectio. Verum quotusquisque Medentum praevidere poterit, et a priori determinare audebit, hunc alium motum inductum aegro amicum, et non aduersum futurum. Cum enim moschus solo odore, in sanissimis, tot anomalos, praeternaturales, turbulentos, heteroclitos, ad conuulsiones vsque euectos motus, excitare aptus sit, maxime in sensibilibus, in aegris tanto magis illos poterit producere, quando nempe illorum Systemati neruoso per naturalem antipathiam contrariatur. Nonne tunc praesentes conuulsiones, si ad earum causam agere pergentem moschi actio accesserit, magis exacerbabuntur, quam inhibebuntur? Cum nunc in materie medicinali dentur antispasmodica, per experientiam generi neruoso nunquam aduersa, sed semper amica, a quibus

bus dextre vſurpatis, nulli vnquam ſpaſtici motus obſeruati ſunt, talia, vbi motus morboſi compeſcendi ſunt, moſcho ſine dubio praeferri merebuntur. Sane Cel. HOFFMANNVS [1]), vbi de motibus conuulſiuis agit, atque ſpecifica tradit, quae, ſi remotis cauſis materialibus, illi adhuc perdurent, vſurpari debeant, prolixo illorum catalogo moſchum non inſeruit, licet caſtorei et opiatorum mentionem iniiciat.

1) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 72.*

§. IX.

Epilepſia.

Venio ad conuulſiones vniuerſales, quae, abſentibus ſimul ſenſibus externis et internis, conſtituunt *Epilepſiam.* In huius curatione Moſchum exhibitum laude ſua non carere dicit SCHROECK [a]). Recenſet magnam farraginem puluerum antepilepticorum, qui omnes Moſchum continent HOFFMANNVS [b]), de Crolliano odorifero agens, per odorem moſchi multos excitari dicit, non quod morbus inde curetur, ſed quod via praeparetur; per virtutem enim odoris, corpori communicatam, ſanguinem moueri, et cor ſupra modum refocillari. Intuitu Epilepſiae omnia valent, quae modo expoſui de Conuulſionibus particularibus. In Epilepſia ſi plethora adſit, ſub inſultu ſanguis mittitur, tempore vacuo veſicatoria applicantur, et moſchus cum puluere rad. Valerianae et conſerua Anthos exhibetur, ſecun-

a) *p. 122.*

b) *in Clav. pharm. Schröderiana lib. II. c. 26.*

cundum *Praxin londinensem* [c]); si morbus sit periodicus, china et moschus datur, hicque ad dimidium scrupulum, singulis 8. horis. Omnia haec remedia praescribuntur in Epilepsia quauis, sine vllo respectu ad causas differentes. Certissimum autem est nullam, in graui hoc morbo, salutem sperandam esse, nisi causa cognita tollatur, et tolli queat, quod saepe valde difficile, et callidissimae arti impossibile. Illustris *van* SWIETEN dedit octenni Puellae, pulchro cum successu, repetitis etiam vicibus, decem grana. Doleo valde, magnum Virum nil adiecisse de historia Morbi, eiusque causa proxima. Refert simul, in Asia moschi audacem dosin dari, id quod imitatus fuerit HOFFMANNVS, citatque eius *Medicinam Systematicam* [d]). Euoluens allegatum mihique bene cognitum locum, de magnis dosibus ibi nil inuenio, quas certe Celeberrimus Vir non amabat. Potio ibi exstat, de qua in Epilepsia, a doloribus producta, affirmat, quod mirabilem praestiterit opem. Illa in quatuor vnciis aquarum, cum lapidibus cancrorum, puluere Marchionis, sale volatili oleoso Syluii, non nisi grana duo moschi cum sacharo subacti habet, deque ea, repetitis vicibus, aliqua portio assumi debuit, non tota potio, pro vna vice. Fateor libere, in Epilepsia a dolore, me multo lubentius moschi loco opium, idonea dosi, prae-

c) *p.* 27.

d) *Tom. IV. Part. III. p.* 24. 25.

praescripturum fuisse, si causa doloris sat cito tolli negauerit, cum moschi effectus in neruosum systema, pro subiectorum varietate semper diuersi sint, incerti, ambigui, et non raro minus expetiti. Quod vero HOFFMANNVS in vniuersum Moscho in Epilepsia non fauerit, ex eo clarissimum est, quod, suppeditans multa remedia sedatiua et sic dicta antepileptica habita, et inter ea multa ex animali regno inania et vana, quae vapore quodam sulphureo subtili temperato, neruosis partibus admodum amico, pollere dicit, castoreum quidem nominet, de moscho autem taceat prorsus [e]). Sciens scribo, quod nunquam ausus fuisset Epilepticis pro vna dosi exhibere Praeceptor optimus integrum moschi scrupulum, quem Cl. PIDERIT dandum suadet [f]). Cum antea de Epilepsia eiusque medela, hinc inde multa bona, hinc inde vero etiam multa falsa, fabulosa, et nullius vsus, ab Auctoribus in medium prolata fuerint, maximae grates persoluendae Viro summo TISSOTO, qui tot pulchris Operibus Praxin medicam illustrauit, quod etiam de *Epilepsia*, in emolumentum Aegrorum et Medicorum, elegantissimum, doctissimum, et vtilissimum tractatum publici iuris fecerit. Pro vera laude, licet immerens, habeo, laudari ab hoc laudatissimo Viro, quod effectus opii, cui iustum pretium statuerim [g]), cum diuersis indicationibus, quas diuersae

e) *p. 19.*

f) *p. 267.*

g) *in libro meo de Vsu Opii sect. III.*



causae Epilepsiae suppeditant, comparauerim; quod deinde, his fundamentis praemissis, euidentissime commonstrauerim, Opii vsum apud Epilepticos, in omnibus casibus esse noxium, iis exceptis, quando vehementia animi Pathemata insultus excitant, et reuocant, atque quando a summo aliquo dolore non statim tollendo, et Opii adhibitionem ex sua natura admittente, illi excluduntur. Nunc cum actionem Moschi, in corpus humanum, magnam analogiam alere cum actione opii, per experientias praemissas in hac dissertatione mea, demonstrauerim atque ipse, de quo mihi gratulor, eandem sententiam foueat Ill. TISSOT, simul me demonstrauisse reputo, moschum quoque non nisi in illis casibus, qui opium dari permittunt, locum habere posse. Igitur iam non opus est, vt varias species Epilepsiae ordine recenseam; et ad illas omnes sanandas, si sanabiles fuerint, moschum nulla ratione facere ostendam. Cadit in totum eius vsus, quando, iusta idea morbi, cum iustis indicationibus ante oculos habita, luculenter constat, circulum auctum, sanguinem calidum, rarefactum, ad caput copiosius congestum, illis contrariari, morbumque ipsum, praefracte nihilominus praescripto hoc remedio, absolute deteriorem reddi debere. Quantum intersit in curatione omnium Epilepsiarum, ad quamcun-

que

que demum speciem pertineant, cauere omni modo, ne sanguis quodam impetu versus caput feratur, ex eo clarum est, quod peculiari articulo 44. media doceat TISSOTVS, quae ipsum refraenant et ad inferiora inuitent. Equidem non dubitat Vir Eximius h) consulere, vt experimenta caute cum Moscho instituant Medici, ipse eius virtutem exploraturus, in casibus, qui eum requirere videbuntur. Sed prouidentiam necessariam iniungit, ne exhibeatur, quando corpus est plethoricum, quando sanguis versus caput celerius et fortius fertur, quando impuritates in ventriculo et intestinis adsunt, quamdiu obstructiones et calor magnus adsunt; Bene notat, sub his circumstantiis moschum omnia peiora reddere, atque aegram citat, cui, dum haec scripsit, medicinam faciebat, tanquam triste exemplum huius experientiae. Sapienter iam *Iosephus* QVERCETANVS i), de Epilepsia agens, testatur, eiusmodi calefacientibus et odoratis remediis, auctos potius, et excitatos fuisse hos effectus, quam imminutos aut superatos. Caussam in eo sitam esse dicit, quod moschus et similia odorata sint *καρηβαρικὰ*, caput grauantia, et cerebrum opplentia, caussasque plethoricas augentia. Cel. SCHROECK k), Epilepsiam non a simplici inanitione et repletione oriri dicit, sed necesse esse, vt irritans caussa simul adsit, itaque

h) *de Epilepsia p. 279.*

i) *in Tetrado gravissimorum capitis affectuum c. 18.*

k) *p. 96.*

 hoc

hoc in caſu ſanguini bilioſo, a moſchatis atomis in feruorem acto, et quaſi excitato, ſua deinde acredine ab ipſis Moſchi ſulphureis particulis accedentibus adaucta, neruoſum genus debile et ad epilepticas conulſiones iam antea pronum, irritari. En *Quercetanum* et *Schroeckium* contra vſum moſchi in Epilepſia inſurgentem, licet hic alio loco ipſi fauere videatur, vt vidimus. Quando autem nunc illud conſilium ſincerum expendo, quod ſuppeditat Eximius TISSOT[1]): Omnes Epilepticos omni poſſibili ſollicitudine ſibi cauere debere ab omnibus ſuaueolentibus, quia omnis odor penetrans, qualiſcunque fuerit, neruos irritat, atque irritatione hac noxas infert, multique epileptici praeterea odorem ambrae et moſchi ferre nequeunt, vix vnquam Moſchum in curatione Epilepſiarum locum habiturum coniicio. Certe, niſi omnia me fallant, ex hoc capite, etiam in Epilepſiis, a doloribus, a pathematibus animi, a ſola irritabilitate et mobilitate ſyſtematis neruoſi pendentibus, in quibus caſibus vnice locum habere poſſet, tamen ipſum abeſſe debere, conuictiſſimus credo, quia, ſi inter illum, et aegri idioſyncraſiam antipathia exiſtat, loco ſperati leuaminis, malum accerſere, et grauius reddere facile poteſt. Subſtituitur ipſi merito, vbi vere indicatur, cum aliis antiſpasmodicis Naturae acceptis, ſummum eorum,

1) *p. 259.*

rum, opium, nemini aduersum, hocque plenissime sufficiente, nunquam indigebimus ancipiti valde moschi auxilio.

* * *

Operae pretium est, vt seorsim agam de *Epilepsia Infantum* et *Puerorum*, quia et his moschum destinari noui, licet iam a me dicta his facile applicari queant. RIVERIVS [m]), qui consultum duxit, postquam de Epilepsia egerat, peculiare caput Epilepsiae Puerorum destinare, puluerem de guttetta, cuius compositionem suppeditat, moschum recipientem, frequenter exhibendum consulit, si affectus protrahatur. SCHENCKIVM deinde allegat ex GEORGIO KVFNERO, moschum expertum remedium laudantem, qui, si bis, ter, de die, parum de eo detur, perfectam curationem promittit. Praeterea RIVERIVS recens natis, antequam lactari incipiant, pro prophylaxi, puluerem de Gutteta dandum suadet. PRIMEROSIVS [n]) Epilepsiae infantili moschum destinat. Habetur etiam in FVLLERI *Pharmacopoeia extemporanea*, *Iulapium moschatum infantum*, in vnciis quatuor aquarum, moschi grana sex habens, de quo infantulo recens nato, contra conuulsiones, drachmae duo vel tres, ter de die, dandae, atque ita plus, pro aetatis ratione. HOFFMANNVS [o]) testatur, quod

Epilepsia Infantum.

m) *Operum* p. 179.

n) *de morb. puerorum.*

o) *Med. Syst. Tom. IV. Part. III.* p. 25.



laudatiſſimam Moſchi virtutem, in compeſcendis infantum conuulſionibus epilepticis, plus ſimplici vice expertus ſit. Noratu dignum eſt, quod omnes hactenus citati Clariſſimi Viri de cauſis Epilepſiarum, quae tamen, vt in adultis, ita et in infantibus, mirum quantum inter ſe differunt, ne verbulum addant, vt adeo ſuſpicio naſci queat, ipſos moſchum tanquam vniuerſale et ſpecificum antepilepticum, conſiderare. Dum ſpeciatim morbos infantum pertractat HOFFMANNVS p), in epilepſia a terrore vel iracundia Nutricis, ſepoſitis omnibus ſpirituoſis acribus et irritantibus, ea ſaltem dan-da iniungit, quae ſpaſticos generis neruoſi motus placide compeſcant, atque puluerem Marchionis, cum Cinnabari, et tantillo moſchi proponit. Nonne autem moſchus referendus inter ſpirituoſa, acria, irritantia, excitantia? Deinde in Epilepſia a lacte corroſiuo, clyſteres, pulueres abſorbentes, cum croco, moſcho, vel momento extracti caſtorei remixtos, decoctum Cornu Cerui paulo ſpiſſius, purgans mannatum, cum aliquot guttulis olei tartari per deliquium, commendat. Crediderim hunc apparatum medicamentoſum optime ſelectum, etiamſi moſchum et caſtoreum non haberet, profuturum et ſuffecturum fuiſſe, cum hoc, et ille, remedia egregie inutilia forent, niſi cauſa, lac acidum corroſiuum, aliis remo-

p) *in ſuppl. Med. Syſt. de Morb. infantum p. 59.*

veretur. Alio iterum loco, casus ab HOFFMANNO [q]), communicatus habetur, vbi a terrore nutricis, sed longe certius, a lacte corrupto nutricis, hoc munere per 7. quadrantes anni functae, malum fuit exortum. Data fuit mixtura ex aquis destillatis cum puluere marchionis, syr. cich. cum rheo et liquore anodyno minerali, vnicum moschi granum habens, nutrici etiam prospectum; cessauit protinus Epilepsia, deinde ab aliis caussis reuersa. Quis hic gloriam decerneret moscho, cum bonus effectus ab aliis sine dubio penderit? Vt nil dissimulem, non bene capio, quomodo optimus Praeceptor non ab opiatis tantum, sed et de volatilibus, quae, vt dicit, etiam extrinsecus admota, saepe saepius noceant, potuerit dehortari, et tamen in summe volatilem moschum fiduciam locare [r]). Non intelligo, quomodo alio loco scribere potuerit [s]): *Opiata, et nimis vaporosa, infantibus et debilioribus cautissime praebenda sunt, vtpote quae ingentem cerebro, et neruosis partibus imbecillitatem et atoniam inducunt,* et tamen etiam non dubitauerit commendare moschum, qui sine dubio inter volatilia et vaporosa, caput tentantia, primum locum occupat, dum toties, vt alibi, ita et hic, longe magis innocentem syrupum diacodii timet. At doses Hoffmannianae si non iuuerint, dum vnicum granum

q) *Med. Syst. Tom. IV. Part. III. p. 32.*

r) *Suppl. p. 60. §. 6.*

s) *Med. Syst. Tom. IV. part. III. p. 28.*



moſchi in multa praebia diuiditur, etiam non adeo eminenter nocere poterunt. Verum cum Cl. PIDERIT infantibus 4. 6. 8. grana nunquam exhibere auderem, quae quartam, tertiam, dimidiam partem vnius grani opii vi ſua aequant. Ill. ROSEN [t]) accuratiſſime, vt ſolet, diuerſas Epilepſiarum infantilium ſpecies explicat, et vnicuique ſua remedia conuenientia accommodat. In nulla earum, excepta illa, quae a retrogreſſa ſcabie exoritur, quod miror, moſchum commendat. Nutrici praeſcribit flores ſulphuris, bis de die cum lacte calido ſumendos, aut mixturam camphoratam, infanti, moſchum cum ſacharo tritum, ſi poſſibile fuerit ad vnum, vel 2 grana ſemel vel bis per diem, ſi deinde ſcabies eruperit, infantem pro hac vice periculo ereptum affirmat. Nonne pro expellenda ſcabie, flores ſulphuris, etiam infanti exhibiti, et in caſu vrgente lene veſicans, praeferri mererentur moſcho? Cel. SCHROECKIVS [v]) ſi Epilepſiae cauſam et moſchi naturam perpendere voluerimus, in hoc morbo tollendo moſchum quandoque efficacem eſſe poſſe, dari debere dicit; cum ſi non ſemper, ab acido tamen aliquo heterogeneo, neruoſas cerebri partes irritante et vellicante, ſaepe oriri, apud plures in confeſſo ſit. Tum autem curationem ſuccedere per acorem iſtum hoſtilem abſorbentia volatilia, quibus moſchus

t) *in libro de morb. infantum.*

v) *p. 123.*

ſchus iure annumeretur, et ſiga. Trahi haec maxime poſſe videntur ad Epilepſiam infantum, ab acido toties oriundam; ſed in ea largius data terrea abſorbentia, et, ſi opus volatilibus, ſpiritus cornu cerui, et liquor C. C. ſuccinatus longe praeferendus moſcho, cum ſint alcalinae indolis. Nonne autem ad infantes etiam, et pueros, extendi deberet conſilium *Tiſſotianum*, de quo antea pro adultis obſeruando verba feci, omnes epilepticos ſollicite ſibi cauere debere ab odore omnium ſuaueolentium, illis noxio futuro, et paroxysmos facile inuitaturo, et exacerbaturo? Nonne autem intus exhibitus Moſchus, aequa et maiori vi ageret in neruos, et eorum originem, quam nares ſuis effluuiis feriens? Longe aliter autem ſtatuendum eſt de minus ſuaueolente Opio; neque propterea ab eo abſtinendum, ſi a dolore, vel a pathemate animi, vt cauſis Epilepſiae, illius vſum permittentibus, indicetur. Equidem BOERHAAVIVS [x]) iure monet, apud infantes opiata raro, neque ſine magna circumſpectione adhibenda eſſe, tamen non prorſus eorum vſui interdicit, modo haec a perito Medico non obiter habeantur. Teſtatur Ill. TISSOT, in Epilepſia Puerorum, ab irritatione doloroſa proruptūrorum dentium enata, a nullis aliis remediis vincenda, ſe anodyna opiata valde vtilia deprehendiſſe [y]).

x) *aph.* 1351.

y) *Von der Epilepſie p.* 282. 283.



Cel. ROSEN in dentitione difficili, si infans perpetuo clamore, dolorem, quem sentit, significet, si pauores somnum excutiant, modo morbus in principio constitutus, et febris absit, tuto guttam vnam vel duas laudani pro dosi exhiberi, adeo ad praecavendos insultus epilepticos, sub directione periti Medici, imo eam pro re nata repeti posse, affirmat[z]). Ipse duabus guttulis laudani aliquando propriae filiolae 26. hebdomades natae, sine notabili calore febrili a dentitione conuulsae, salutem et vitam lucratus sum, dormiebat placide vltra 6. horas et hilaris euigilabat. Seruet sibi igitur moschum suum *Andreas* RIED, quem in febre a dentitione, conuulsionibus stipata, multum laudat, cum eodem penitus carere queamus. Neque tutior eius vsus censendus est, nisi refractiore, quam communiter fieri solet, dosi porrigatur.

z) *Kinderkrankheiten* p. 71. 72.

§. X.

Malum hystericum.

Transeo ad *Malum hystericum*, quod, licet totum sit spasmodico conuulsiuum, tamen seorsim, et cum cura expendere necessarium iudico. Cel. CRANTZIVS[a]) Quaestionem proponit, eamque magnam vocat, *an Moschus conueniat Hystericis?* Respondet, *validum est corpus turbans, et caput tentans.* Crederet aliquis, his vitiis eius agnitis, ipsum negatiuam sententiam sine tergi-

a) p. 152.

tergiuerſatione, tuiturum. At vero, merentur tamen confirmari, ait, obſeruationes D. GARCIN, qui ſeptentrionalibus olim frequentem moſchum, hodie exulem habet, ſed etiam plures hyſtericas ibi, quam olim, memorat. Nec ignobile penitus argumentum eſſe exiſtimat CRANTZIVS, quod hodie in locis meridionalibus, vti etiam Indiis, vbi maximus huius vſus, hyſtericarum ſit minor numerus. Taceo reliqua, quae, vt modo excerpta, accuratiorem tamen inquiſitionem poſtulant, antequam Moſcho is honos tribui queat, quod ſit magnum remedium antihyſtericum. Non interim ipſi deſunt plures adiecti Clarorum Virorum calculi. Peculiare caput ſcripſit SCHROECKIVS, *de Moſchi viribus vterinis*, quem, ſecundum plurimorum aſſerta, Vtero pergratum eſſe, eaque propter medicamentis antihyſtericis adiungi, notat. Ludicra argumenta Veterum hac occaſione adducit, cum *Platone* Vterum animal generandi auidum, vel ſaltem animali facultate donatum, ſtatuentium. Citat varios Medicos antiquiores, et recentiores, qui externe et interne adhibitum hyſtericam paſſionem curare exiſtimarunt, *Auerrhoem*, *Iacobum Syluium*, *Braſauolum*, *Rodericum a Fonſeca*, *Augenium*, *Benedictum Victorium*, *Solenandrum*, *Riuerium*, *Paulum de Sorbait*, *Montagnanum*, *Zwelferum* [b]). Ex FERNELII

b) p. 146.



c) *Method. med. lib. V. c. 26.* NELII testimonio [c]), *Moschus tum sumtus, tum pesso subditus, vteri strangulatum tollit, vterum odore recreat* (mirum hoc, cum vterus non olfaciat) *et concipiendi spem auget,* (nulla alia opinor ratione, quam quia est aphrodisiacum.) In *Pharmacopoeia Bateana* habetur Iulapium antihystericum moschatum. VOGEL [d]) efficacissimum praesidium moschum esse ait, in malo hysterico, tam interno, quam externo vsu, ad *Lowerum* et *Horatium Augenium* prouocans. Cel. WHYTT [e]) *Riuerium* adducit, memorantem, quod suo tempore, bono cum effectu, tredecim grana insultui hysterico praesenti, opponere in more positum fuerit, et iam receptum esse pergit, hanc, vel etiam maiorem dosin, ter, et quater, de die porrigendi. RIVERIVS [f]) citat *Platerum,* qui pilulas commendat, ex moschi gr. sex, benzoes drachma dimidia, Sachari drachma vna. Ipse RIVERIVS aquam florum Naphae solam, ad vncias tres, vel quatuor, vtiliter exhiberi, et cum moscho et sanguine draconis permixtam, miranda praestare ait. Adducit testem *Solenandrum*, qui a Vetula data fuisse mulieri hystericae grana tredecim, cum totidem granis sanguinis draconis, ex aqua florum Naphae, cum fructu, memorat, adiicit simul, medicamentum hoc in simili casu, a se quoties exhibitum, semper profuisse. PANAROLVS [g]) interea

d) *p. 355.*

e) *p. 288.*

f) *p. 384.*

g) *Part. III. obs. 17.*

interea flores aurantiorum insultus hystericos excitasse obseruauit. Fuere tamen, qui, non bene fisi soli Moscho, graueolentia antihysterica vsui eius iungi voluerunt, quos inter ipse RIVERIVS [h]) suasit, vt graveolentia naribus admouerentur, suaueolentia autem vtero, nimirum moschi aut Zibethi grana aliquot cotone inuoluta. De his artibus, de quibus etiam loquitur SCHROECKIVS [i]), quasque prudenter reiicit, ita mentem suam explicat: *Moschi et consimilium suauiter fragrantium, circa inferiores corporis partes vsus, ex falsa illa de vteri e loco suo versus superiora motione, et adscensu, nec non singulari erga odorata illa sympathia et appetitu, hypothesi, enatus, istis in corporibus, quae a grate odoriferorum halitu naribus admisso, suffocationis periculum incurrunt, neutiquam conuenire potest, cum enim et ibi moschatae atomi, Neruos vterinos arteriasque et venas penetrando, spiritibus et sanguini morbosam illam rarefactionem, et agitationem inducere valeant, eo ipso sane affectum fouebunt potius; et contumaciorem reddent, quam profligabunt. Quodsi tamen is eiusmodi applicatione cessare quandoque videatur, rerum foetidarum et graueolentium eodem tempore naribus maiori quantitati applicatae, hoc tribuendum.* Ex his rationibus etiam SCHROECKIVS, ab Autoribus nonnullis laudatos moschatos pessos prorsus reiicit [k]), atque LVDOVI-

CVS

h) p. 382.

i) p. 145.

k) p. 146.

l) animadu. lib. VII. §. 16.

m) in Operibus cap. de suffocatione vteri.

n) p. 147.

CVS SEPTALIVS [l]), cerata ex tacamahaca, cum duobus aut tribus Moschi granis, medietati horum impositis, cum successu applicari negat, cum ex calore corporis, et lecti eleuati bene olentes vapores, praefocationem potius concitent. Alii alias cautelas circa vsum proponunt. Celebris olim Practicus ETTMVLLERVS [m]), postquam de castoreo, et asa foetida verba fecerat, sic inquit: *Quibusdam magis placent suaueolentia, vt* HOCHSTETERO; *interim obseruetur, quod Mulieres, quas laedunt suaueolentia naribus admota, non laedant intus assumta, vt Moschus, Zibethum, modo non percipiant odorem. Alii vtuntur experimento hoc, sumantur moschi gr. quatuor, cinam. caryophyll. nuc. moschat. aa. scrupulus vnus, propinetur in vino odorifero,* (pro occultando odore) *vel dentur pilulae ex Moscho.* Eadem fuit sententia *Zwelferi*, qui moschum intro propinatum summo esse emolumento scribit, cauendo ne nares feriat. Sed optime SCHROECKIVS [n]) eidem opposuit, moschum intus sanguinem et neruos ingressum, eandem actionem excitaturum, quam odorem eius naribus exceptum. Ponatur, subito deglutire foeminam remedium moschatum, adeo sub ipsa deglutitione, non euitabit odorem. An autem moschus, intus assumtus, aget in neruos ventriculi aliter, quam in neruos membranae pituitariae, licet

cet in illis odorem nullum excitet? an totum ſyſtema neruoſum grato ſtimulo afficiet in ventriculo, quando neruis ad odoratum facientibus inimicus eſt, et his mediantibus illud totum perturbat? An quando aſſumtus calore ſanguinis naturali diſſoluitur, cumque eo rarefacto per totum corpus penetrat, operabitur diuerſa ratione in ſubtiliſſimum fluidum, quam cum aere circumfluo inſpiratus, inque pulmones et cor ſtatim ſuam potentiam exercens? Verum ſine omni circumſpectione, ne ipſum ſubolfaciant, datus eſt moſchus a Medicis multis antea allegatis, et a numero multis aliis. HERRMANNVS [o]), ad hoc non attentus, vires analepticas, cardiacas et antihyſtericas ipſi tribuit. RIED, vt moſchi virtutes alias depraedicauit, ita et illum mederi conuulſionibus hyſtericis, Autor eſt. In *Praxi* hodierna *Londinenſi* [p]), ad ſpasmos hyſtericos praeſcribitur, inter alia remedia; atque in colica hyſterica, irritationem oppugnandam eſſe dicitur, moſchi et opii, ſibi inuicem iunctorum, magnis, et repetitis doſibus.

o) *in Cynoſ. mat. med.*

p) *Part. II. p. 37.*

Fauere omnino videtur primo intuitu, SENNERTVS [q]) Medicis illis, qui moſcho antihyſtericam virtutem tribuunt, quando dari foeminas aſſerit, quae nullo modo,

q) *Med. Pract. lib. IV. Part. II. ſect. I. c. 4. p. 125.*



modo moſchi, ambrae, et ſimilium odore offendantur, ſed eum bene ferant, quales multae reperiuntur in gynaeceis Principum et Nobilium, quae veſtibus moſchi vapore infectis vtuntur. Noui, vittis et linteaminibus, in ſcriniis, vbi aſſeruantur, moſchum apponere mulierculas, vt Procorum non ſaltem oculis placeant, ſed et grato odore eos alliciant: At vero parciſſimus tum debet eſſe moſchi vſus, qui largior, et ipſis, et propius ad eas accedentibus, moleſtias faceſſeret. Atque, qui partes Moſchi tueri velle videri poterat, ipſe modo laudatus SENNERTVS, tamen paulo ante vltro faſſus erat, *Extra controuerſiam eſſe, ac id docere quotidianam experientiam, qua conſtet, ſi mulieribus vteri ſuffocationi obnoxiis, Zibethum, moſchus, ambra, et ſimilia naribus admoueantur, eas hunc affectum incurrere, aut certe male habere, contra vero, ſi eadem pudendis, et foetida naribus admoueantur, paroxyſmum ceſſare.* Porro quoque Cl. CHESNEAU [r]), experientiam probare dicit, quod hyſtericis odorata proſint, citatque *Plateri* moſchatas pilulas, et *Solenandri* remedium ex moſcho et ſanguine draconis, ſibi comprobaſſe affirmat, felicem euentum, quem de eo *Riverius* laudat. Addit autem, *ſed remedia haec ſunt magni ſumtus, et tantum pro ditioribus*, ideoque aliud ſuppeditat, quod non minoris vſus eſſe dicit, ſpecificum, quod ex

r) *Obſerv. lib. III. c. 14. obſ. I. p. 367. 368.*

ex castoreo, asa foetida, et opio paratur. Ex commendatione igitur SENNERTI, et CHESNEAU nondum aliqua praerogativa moscho nascitur, prae aliis, maiori sine dubio iure, pro antihystericis habitis. Verum quod maius est, Cl. SCHROECK[s]), dari hystericas affirmat, quae a suaueolentibus, in ipso paroxysmo, odore tenus, leuamen summum, a graueolentibus autem, maiorem potius afflictionem percipiant. Prouocat ad HORSTIVM[t]), qui Matronam habet, a foetidis grauiora Symptomata, perpessam, a moscho et ambra feliciter restitutam, et nobilem Virginem, in paroxysmo ab odore moschi mire refectam, deinde etiam BARTHOLINVM[v]) simile quid retulisse notat. Rarae autem hae aues sunt, et vix numero totidem, quam Thebarum portae, et diuitis ostia Nili; vnique exemplo tali valde multa contrarium probantia possunt opponi. Adducitur a SCHROECKIO[x]) FEHR, qui in praxi sua habuit duas illustres Sorores, quarum vna, diris pathematibus hystericis afflicta, non nisi suauissimo moscho et ambra iuuabatur, cum castoreum ipsi aduersissimum esset, quod tamen Sorori natu maiori, saepius hoc malo correptae, vnica panacea erat. Recenset *Simon* PAVLI[y]), quod vocatus ad Matronam, vehementissimis symptomatibus hystericis correptam, quae, cum foetida graveolen-

s) *capite citato.*

t) *obs. med. Part. II. lib. I. obs. 24. 38.*

v) *Cent. III. hist. anat. 28.*

x) *p. 148.*

y) *Quadripart. botan. Classe III. p. 201. 202.*

veolentia, externa et interna, pro eius ſolamine adhibenda proponeret, ſtridula voce dicebat, ſe his enecandam fore, cum emplaſtrum de galbano, a mulierculis impoſitum vmbilico, non ferre poſſet. Cum igitur audiret laudatus *Pauli*, ipſi halitum chirotecarum, ex aluta liquidambar redolente confectarum, gratum eſſe, ſubſtituit, loco emplaſtri de Galbano, Emplaſtrum ſuaueolentius de Tacamahaca, et vaginae vterinae indi iuſſit cum bombace ex balſ. peruu. oleo iaſmini et Zibetho linimentum, quibus leuata eſt; verum refert ſimul hiſtoriam praecedenti prorſus contrariam. Coenaculum ingreſſus ipſe, hoſpes et conuiua, in quo honeſtiſſimae Matronae commorabantur, manu tenens orchidem odoratam moſchatam Bauhini, crocum et moſchum redolentem. Statim quaedam earum, de nimia fragrantia conquerens, obſecrabat, vt eam per feneſtram proiiceret, verita ne vtero ſtrangularetur. Addit ergo hoc monitum: *Vitabunt ergo praxin medicam exercituri, ne vnguenta ſuauia redoleant, nec roſas, violas, leucoia circumferant, cum plerumque graueolentibus minime, ſuaueolentibus vero ſequior ſexus perfacile offendatur.* Credo ego, ex his patere, ſi inter antihyſterica referendus eſſet moſchus, eius tamen adhibitionem valde reſtringendam fore. Sed plura ſuperſunt, quae hoc ipſum euincunt.

Qui



* * *

Qui Moſchi vſui coeteroquin fauet FVLLER [a]), apud Foeminas hyſtericas, tamen etiam eum valde reſtringit, et limitat. Namque *Moſchus praecipue conuenit,* inquit, *quoties ſpiritus non ob copiam et turgeſcentiam, efferato exploduntur, ſed ob penuriam et vacillationem in confuſiones labuntur, Moſchus enim ſanguinem potenter exagitat.* Multum ſane, ſub his conditionibus et exceptionibus, iam decedit opportunitati Moſchum adhibendi, apud hyſtericas: non paucae quippe earum ſunt plethoricae, ſenſibiles, vehementioribus affectibus indulgentes, quibus adeo vix conduceret circulum incitaſſe, ſanguinem potenter exagitauiſſe, et ad cerebrum pepuliſſe. His certe, vel ETTMVLLERI, vel SOLENANDRI, vel Londinenſium, vel aliorum conſilio, minus conuenienter Moſchus porrigeretur. De VSe, magnam dubitationem eſſe notat RIVERIVS, vtrum ſcilicet, in ipſo paroxyſmo conueniat, (de qua re nil determinat egregius et claſſicus Autor SYDENHAM) adducitque VARANDAEVM et SENNERTVM negantes, MERCATVM autem, et RODERICVM a CASTRO, et HOCHSTETERVM affirmantes, et conſulentes, in talo venam eſſe aperiendam, quando affectus producitur a ſanguinis menſtrui copia atque retentione, cum nullo alio remedio vires, onere oppreſſas,

a) *Pharmac. extemp. pag. 302.*

p. 382.

erigere, et ſuffocationis periculum, auertere liceat: atque in hoc caſu, neque foetida neque odorata, aegram e paroxyſmo ſuſcitare queant. His autoribus annuit RIVERIVS, pulſu exiſtente valido, et pleno, vtique venam ſecandam aſſerens, pulſu autem languido, eſſe abſtinendum, et intervallum expectandum, in quo tutius ſanguis detrahi queat. Ego ſaepius in foeminis hyſtericis, plethoricis, in ipſo paroxyſmo, quando pulſum magnum et fortem exhibebant, quando facies rubra erat, et inflata, menſes parci, aut recens ſuppreſſi, vel inſtante periodo aegre erumpebant, tum et grauidis, ſub his circumſtantiis, venam ſecari feci, cum praeſentaneo leuamine. Celeb. HOFFMANNVS [b]), prouocans ad varios Autores, praeter eos, ad quos RIVERIVS prouocat, ad ſpasmorum et conuulſionum vehementiam, quae in ſanguine abundantibus longe maior eſt, quam in aliis, feliciter minuendam, non efficacius VSe, etiam, ſi maior copia ſanguinis vrget, repetitae, remedium inueniri dicit. Vidit ſpasmis immanibus cruciatas, ſine omni ſenſu et motu, facie rubra et inflata, inſtar apoplecticarum iacentes; virgines quoque ſanguine plenas, ſpiratione et loquela priuatas, menſibus repente cohibitis, vel epileptico inſultu correptas, VSe inſtituta, protinus ad ſe rediiſſe. Vt, rebus ita conſtitutis, culpabile eſſet,

b) *Med. Syſt. Tom. III. Part. III. p. 169. 170.*

eſſet, VSem negligere et intermittere, ita etiam graue peccatum foret, quod aegrotanti mortiferum euadere poſſet, moſchum antihyſtericum habitum, ſanguinem commouentem, expandentem, ad caput vrgentem, exhibere.

Limites hi, vſui Moſchi iure ponendi, retinere aliquantiſper deberent illos, qui, vt antea vidimus, hyſtericas ipſum non tantum bene ferre, ſed et leuamen omnium malorum ſuorum ſpasmodico-conuulſiuorum, inde obtinere ſtatuunt et aſſerunt. Verum nubem teſtium, his laudatoribus opponere licet, qui hoc morbo laborantibus foemellis prorſus contrarium eſſe moſchum affirmant, quos andire operae pretium eſt, quibusque vt ſubſcribamus, ratio et numeroſiſſimae experientiae dictitant. SCHROECKIVS [c]), qui capite *de Moſchi Viribus vterinis*, magnus eſt eius, tanquam remedii antihyſterici, Encomiaſtes, antea capite, de *incommodis Moſchi*, conſcripto, prorſus aliter ſenſit: *Quam creberrime ſuffocatio vterina a moſchato odore,* inquit, *ſoleat oriri, vel aniculis paſſim notum eſt. Memorari tamen meretur, quod relationes publicae anno 1667. Menſe februario indicarunt. Antuerpiae nempe, trium vel 4. menſium ſpatio puerperas plus quam 120., ob ſachari vſum, cui Moſchus admix-*

c) *p. 97.*



admixtus vel appositus fuerat, Libitinae censum ingressas fuisse, quod num verum sit, meum non est diiudicare, qui multis fabulis tales nouellas conspersas esse, noui. Saltem tamen non est impossibile, praesertim cum Antuerpianas foeminas, magis quam alias, illum auersari scribat Casp. a RFIES *Elys. iucund. quaest. quaest. 84. Et cum maiori foeminarum numero noxam hanc ille odor minetur, rarissime imo nunquam medicus eundem medicamentis conciliat, nisi probe ipsi antea constiterit, hanc vel illam ab eo minime laedi.* Vt Anglorum plerique solent, vnctuosum hoc suaueolens concretum *multos mirifice reficere*, ex affectu equidem scribit MEAD [d]), attamen, quia tales certe rarissime occurrunt, statim adiicere cogitur, *sed alios videmus, quos pessundat fere, et aegritudine cum Animi deliquio turbat, moschi et zibethi fragrantia.* Diuersitatem hanc facere ait, dissimilem, in diuersis hominibus, liquoris, qui neruos irrigat, habitudinem. Verum omnium paene hominum habitudo ita comparata est, vt Moschum auersentur. WEDELIVS [e]), *Moschata*, inquit, *nimis rarefaciunt, et in motus cient spiritus, vnde inquietos reddunt;* et alibi [f]): *Moschata et suaueolentia humores discutere nesciunt, quin potius maiorem rarefactionem iis conciliant, et consequenter quietos turbant, mouent, et hinc symptomata excitant hysterica. Videmus idem in hypochondriacis, quod a moschatis*

d) *Monit. med. p. 122. 123.*

e) *amoenit. mat. med. p. 154.*

f) *p. 198.*

ſchatis et volatilibus aliis ſaepe laedantur magis, quam confortentur. Eapropter BOECLERVS [g]), *Circa Moſchum cauti eſſe debemus,* inquit, *praecipue in mulieribus.* TRILLER [h]), rariſſime mulieres moſchi odorem perferre poſſe notat, hinc caute cum eo procedendum. FVLLER [i]) Moſchi et Zibethi odorem hypochondriacae ſuffocationi obnoxias mulieres, repentina ſyncope exanimare, refert. Cel. SCHVLTZIVS [k]), circa *aquam apoplecticam Zwelfferi*, in Officinis proſtantem, notandum eſſe in praeſcribendo monet, ne illam cum moſcho offeramus foeminis, ad hyſtericas affectiones pronis, aut illis actu laborantibus. Porro de balſamo apoplectico mentem ſuam exponens [l]), adiungit ipſi *Balſamum apoplecticum pro mulieribus ſine moſcho, ambra et zibetho,* quia haec, et alia dulce fragrantia ferre non poſſunt. Adeo autem cautus eſt NEVMANN [m]), vt, quia moſchus omnia, quae attingit, odore ſuo inficit, ſincere moneat, ſollicite cauendum eſſe, in officinis pharmaceuticis, ne is in propinquo aliarum rerum aſſeruetur, ipſisque odorem affricet, quia foeminis aduerſus eſt. HOFFMANNVS [n]) quanquam haec effluuia, inquit, ſtupendae ſint exiguitatis, quae ex ſuaueolentibus, moſcho, zibetho, et floribus iasmini exhalant, attamen tanta efficacia pollent, vt foeminam, cuius nerui enormibus anomalis contractio-

g) *in notis ad Herrmanni Cynoſ. mat. med. Tom. II. p. 40.*

h) *diſp. Part. I. p. 290.*

i) *p. 302.*

k) *in Praelect. de viribus et vſu remediorum p. 21.*

l) *p. 48.*

m) *in praelect. ch. m. p. 1289.*

n) *Med. Syſt. Tom. III. p. 92.*



nibus adſueti ſunt, id eſt, quae, ſecundum Veterum loquendi modum, ſenſibiliſſimae eſt indolis, vehementiſſime affligant, ſyncopen inferendo, vſum vitae ad tempus ſuſpendendo, corpus humi proſternendo, vel graues anxietates et ſuffocatorias pectoris et ſpiritus anguſtias concitent, adſpectu horrenda ſymptomata. Nemo autem putet, vni vel alteri tantum foeminae talia accidere. Neutiquam! Quod hic enim HOFFMANNVS in ſingulari dicit, antea [o]) in plurali dixerat; nempe foeminas hyſtericas aegerrime ferre ſuaueolentia, quae, vniverſo ſyſtemate neruoſo in conſenſum tracto, ſaeuiſſima ſymptomata, ſyncopen, ſummam praecordiorum anxietatem, ſpirandi anguſtiam, in quibusdam conuulſiones, proritent. Inter externa remedia, non vult equidem in dubium vocare, ſuaueolentia vtero admouenda, ex antiquorum *Hippocratis*, *Galeni*, etiam FORESTI conſilio [p]), quae, ſpaſmis ſedatis, craſſos et putridos humores eliciant. Propria vero experientia deſtitutum ſeſe eſſe dicit, vſusque horum externorum, de quo vt inutilium antea egi, videtur et eapropter fruſtraneus eſſe, cum WILLISIVS, SYDENHAM, et alii [q]), vterum ab omni culpa abſoluant. At vero Vir Celeberrimus in pilulis ſibi familiaribus, pro vſu interno, a quibus incomparabile ſaepe praeter omnem ſpem et opinionem ſe auxili-

o) *loc. cit. p. 75.*

p) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 71. 72.*

q) *Stentzel diſſ. de Vtero inſonte.*

auxilium obſeruaſſe dicit, multa graueolentia ſibi inuicem iunxit, myrrham, ſagapenum, opopanacem, aſam foetidam, caſtoreum, crocum, theriacam, camphoram, laudanum, nullum vero ipſis adiecit moſchum. Hunc nulli aegrarum, quarum 12. hiſtorias habet, praeſcripſit, moderata doſi autem fere ſemper caſtoreum. Videamus, quid de his omnibus ſtatuat BOERHAAVIVS! Scripſit is [r]), Viros moſchum tolerare, foeminas autem minime, etiam ſanas; ſed antea illos non exceperat, *Hyacinthus,* inquiens [s]), *tuberoſus indicus nocet hyſtericis et viris debilioribus, his enim nimis mobile eſt Genus neruoſum,* et alibi [t]): *Moſchus poteſt ita afficere neruos, vt ſimulac odor eius percipitur, mox oriantur diriſſimi ſpaſmi, inprimis in hypochondriacis et hyſtericis.* Idem confirmat Ill. *van* SWIETEN [v]); *Moſchi fragrantia,* ſcribens, *mobiliſſimas in genere neruoſo, foeminas toties peſſime affecit, imo aliquando diras in illis conuulſiones excitauit.* Haec de foeminis; ſed iungit his adeo mares [x]). *Moſchus et Zibethum,* ait, *tantam grauis odoris vim diffundunt, vt hyſtericis, et hypochondriacis, ſaepe magnam moleſtiam faciant.* Cel. SCHVLTZE [y]) etiam Viris, pro ſcopo aphrodiſiaco, qui moſchum et ambram auerſantur, Confectionem alkerm. incompletam ſaltem, praeſcribendam conſulit. CARTHEVSER [z]) ſolum moſchi odorem, multis tam

r) *in Prael. ad inſtit. §. 112. ad vocem ſingulares.*

s) *ibid. ad vocem odores lenes.*

t) *de morb. Neruorum p. 744.*

v) *Tom. I. p. 773.*

x) *Tom. III. p. 379.*

y) *tic. p. 64.*

z) *mat. med. II. p. 380.*

 maſcu-

masculini, quam foeminini sexus hominibus, adeo aduersari scribit, vt eundem citra animi deliquium, summamque anxietatem, diu perferre nequeant. Plerasque mulieres non multum amare Moschum, quin haud paucas tam aegre ferre, vt si forte fortuna talis odor illarum feriat nares, in varia grauissima mala incidant, cum tot Practicis etiam annotat RIDLINVS. Nouit aliquam, quae, ob chirothecam ambrae odore imbutam, graui affectu hysterico corripiatur. Cum vero a suaueolentibus, et quidam viri male habeant, data opera et studio RIDLINVS [a]) Virum sistit, ambrae et moschi odorem non ferentem, qui licet in omnibus coeteris virum se praestiterit optimaeque constitutionis esset, accepto ambra et moscho constante medicamento, in omnia mala hysterica, foeminis familiaria, incidit. Recenset quoque de se ipso CHESNEAU [b]), similem antipathiam. *Ego*, inquit, *qui homo sum plus quam sexagenarius, nunquam odorem moschi ferre potui nisi per modum praetereuntis: Quodsi aliquid solo odore imbutum longiori tempore naribus meis oblatum esset, videbar mihi esse vacuus ab enteris, et stomacho, omnibus quae in ventre sunt versis, cum capitis dolore et cibi fastidio.*

a) *lin. med. Anno 1697. p. 836.*

b) *lib. III. obs. p. 368.*

Qui

Qui omnia haec summorum in arte Virorum asserta, sibi inuicem penitus et exacte respondentia, et millenis experientiis comprobata considerauerit, non poterit non vehementer mirari, quomodo factum sit, vt vnquam Moschus remedii antihysterici elogium potuerit obtinere. Potius qui a praeiudiciis liber est, et sincerae simplicique Veritati litat, sine vlla haesitatione subscribere debet Cl. CARTHEVSERI [c]) asserto: *Quomodo vires analepticae, et antihystericae, Moscho adscriptae, cum eius sinistris et frequenti experientia comprobatis effectibus, conciliari possint, non intelligo, faciliusque, fragrantissimum hoc concretum insultus hystericos, et lipothymias accersere, quam profligare credo.* Notatu dignissimum est, optimum citra controuersiam, de malo hysterico Scriptorem SYDENHAMVM, cuius vestigia in medendo sequi, certe operae pretium est, ne verbulum de suaueolentibus et moscho habere, sed potius vnice fidere graueolentibus. *Quotiescunque paroxysmus inuaserit*, inquit [d]), *si tale aut tantum sit malum, vt inducias ferre nolit, ad remedia antihysterica ista confugiendum est, quae odore viroso ac graui, spiritus exorbitantes in proprias stationes remandant, siue intra corpus sumantur, siue naribus admoueantur.* Nominat deinde asam foetidam, galbanum, castoreum, spiritum salis ammoniaci, Cornu

c) *Mat. Méd. Tom. II. p. 380. in notis.*

d) *p. 524. 525.*



nu Cerui etc. Tumque pergit: *Hic enim quod res est, dicam, quaecunque foetent, ea omnia huic intentioni apprime inseruiunt.* His, et laudano suo, solis vtitur, pro compescendis vrgentibus symptomatibus. Quantum haec graueolentia praestent, et praeualeant suaueolentibus, et principi inter ea Moscho, vel ex solo hoc clarissime perspicitur, quod quasi vt eius antidota considerari queant, prauis eius effectibus tollendis apta, et contraria. Expressis verbis dicit WILLISIVS [e]), *suaueolentia paroxysmum hystericum accersunt, foetida eum abigunt.* WEDEL [f]), *foetidis delectari vterum*, dicit, *suaueolentibus autem vt moscho, foeminas hystericas laedi. Van* SWIETEN *Moschi fragrantiam mobilissimas in genere neruoso foeminas, toties pessime afficere, imo et diras aliquando conuulsiones excitare, asam foetidam habitu suo viroso inordinatos illos spirituum motus saepe tam feliciter compescere, in hystericis mulieribus,* scribit [g]). Cel. TRILLERTS [h]), plus propemodum damni ac periculi sanitati metuendum a suaueolentibus, ait, quam quidem ex graueolentibus, quoniam nempe languores et aegritudines, quae ex bene odoratis originem traxerunt, contrariis male odoratis discutiuntur. HOFFMANNVS [i]) horrenda aspectu symptomata hystericarum, a suaueolentibus, moscho, zibetho, floribus iasmini, excitata, foetido naribus admoto vapore, extem-

e) *de morb. conu. c. 10.*

f) *amoen. mat. med. c. de vterinis p. 198.*

g) *Tom. I. p. 773.*

h) *diss. de morte ex odore violarum §. 33.*

i) *Medic. Syst. Tom. III. p. 92.*

extempore et miraculi inſtar ſaepe ſiſti, ſcribit; eam videlicet ob cauſam, quod exhalationes tenuiſſimae ſulphureae intimae ad neruoſas partes ſint admiſſionis, et contrarium ſuaueolentibus effectum, nempe ſedatiuum, in iis exerant. Clarum ex his eſt, longe abeſſe HOFFMANNVM, vt ſuaueolentibus, et moſcho, ſedatiuum apud hyſtericas effectum attribuat. MEADIVS [k]), magnus adeo Moſchi fautor, non diffiteri poteſt eos, quos peſſundat fere, et aegritudine cum animi deliquio turbat fragrans Moſchus, recreare viroſum caſtoreum, et aſam foetidam. Cum ergo graueolentia pleniſſime et certiſſime recreationi hyſtericarum ſufficiant, non video, cur in earum vſum, correctioni moſchi ſtuduerit Cel. NICOLAI, qui, vt ipſum ferrent foeminae, eum alioquin abhorrentes, eidem camphoram, aſam foetidam et caſtoreum, vt odor eius aliquo modo obnubiletur, adiici debere, conſulit, quaſi moſchus eſſet hyſtericis abſolute neceſſarium remedium, quo carere nequirent. Expertus autem fuit PIDERIT [l]), qui de hac miſcela verba facit, ſaepe plane ſuaueolentium vſum eas non admittere. Nunc dum Medici dantur, qui aſſerere hyſtericis vſum Moſchi quaſi ſalutiferum allaborant, aliis interim multo numeroſioribus contranitentibus, et ab eo, tanquam aduerſo et noxio, dehortantibus, quibus obſervatio-

k) *Monit. med. p. 123.*

l) *p. 268.*

vationes et experientiae repetitae prorſus annuunt, dolere debent omnino omnes cordati, eiusmodi ſibi e diametro oppoſitas ſententias, et manifeſtas contradictiones, parum certe rationali Medicinae Practicae honorificas. Quando centenae, et millenae ſanae a moſcho et eius odore abhorrent, nonne abſonum eſt, illis aegris exiſtentibus ipſum obtrudere, et ſymptomata omnia, quae mitigari debebant, praeter neceſſitatem dato, exacerbare, et peiora reddere? Ponatur, vnam vel alteram eundem ferre, aut plane eodem, ſi Diis placet, recreari, quotusquisque ſana ratione vtens Medicus, de hac ſympathia rariſſima antea non conuictus, incertum et inſecurum remedium, certiſſimis et ſecuriſſimis, quae proſtant, vellet praeferre, quando ſuo cerebro, paradoxorum domicilio, gratis inhaeret vis moſchi antihyſterica? Subriſi, quando animaduerti, Cl. GALEATI, magnum Encomiaſten Moſchi, VOGELIO hoc
p.355. referente [m]), obſeruaſſe aliquando, quod flatus excitauerit. Nonne tota eſſentia mali hyſterici conſiſtit in ſpasmis et flatibus? Quomodo ergo, ſi hoc ita ſeſe habeat, eidem contrariaretur? Neque etiam ad radicalem curationem aliquid vt conferat, aptus eſt Moſchus, quae, SYDENHAMO monſtrante, non in ataxia ſpirituum moderanda et ſiſtenda, ſed, vt loquitur, in ſanguinis, qui

qui fons et origo eſt ſpirituum, corroboratione, aut vt hodie loquimur, in ſyſtemate neruoſo debili et irritabili corroborando, conſiſtit; ad hunc ſcopum impetrandum eius conſilia potiſſimum tendunt. Quamuis autem vera ſedes mali non ſit Vterus, tamen fluxus menſtrui anomaliae, et alia eius vitia, ſemper attendi debent, vt fluor albus, vlcus, ſcirrhus. Non raro certe paſſio hyſterica oritur et ſuſtentatur ab occulto amore, igniculis venereis, et coeundi deſiderio. His omnibus certe non medebitur aphrodiſiaca virtute praeditus moſchus, ſed melius tum valebit conſilium *Hippocratis* [n]): *Viro iungi.*

n) *libro de Morbis Virginum 3.*

§. XI.

Mania.

Ad *Maniae* ſanationem, etiam adhiberi debere Moſchum, viſum eſt Medicorum haud paucis. Firmiter interea perſuaſus ſum, ſi eius ingenium rite examinaſſent, ipſis hanc fiduciam haud ſurrecturam fuiſſe. Cum vero in ea verſarentur opinione, inſignes vires cephalicas et neruinas ipſi ineſſe, has ſuffecturas fore, corroborando Maniacorum contra deliras ideas cerebro, faciles concluſerunt. Haec ratio eſt, cur RIVERIVS [a]), et HILDANVS [b]), aliique confectionem alkermes, moſchum et ambram habentem, in medela Maniae commendarunt. Miros ſibi effectus in hoc morbo finxit

a) *Pr. Med. lib. I. c. 13.*
b) *Cent. IV. obſ. 9.*



finxit WEDELIVS[c]). *Demulcent et roborant, inquit, ſicque ad frugem ducunt in Mania moſchata, interne et externe, (vnde et Conf. alkermes prodeſt) quatenus roborant ſpiritus, et particulis ſuis blandis elaſticis interſtinguunt poros lymphae, vt ſpiritus eo facilius placari, et ad quietem componi queant.* Sane aetiologia haec, praeter inania et nil ſignificantia verba, vix aliquid habet; dolendum, quod bonus WEDELIVS, cum aliis aeui ſui Medicis, acquieſcere in eiusmodi cerebrinis luſibus potuerit. Interea tamen, non in imaginatione tantum conſiſtere effectus, quos Maniacis praeſtet Moſchus, ſed re ipſa ſeſe exhibere, quomodocunque explicentur, ſequentibus temporibus Celebres Viri affirmarunt. GALEATI[d]) effectus ſe in Mania a Moſcho vidiſſe refert, non aliter, quam ſi de euicta veritate practica loqueretur. VOGEL[e]) puluerem tunquinenſem, in Mania et Melancholia maximam ſuam virtutem moſcho debere, dicit. Non minus Cel. CRANTZ[f]), profuiſſe Maniacis moſchum, poſt aquarum ſubmerſionem, recenſet. PIDERIT[g]) ad integrum ſcrupulum, maniacis adhiberi poſſe, Autor eſt. Sed omnes quos nominaui, egregii Medici recentiores Anglorum promiſſis ſeſe praecipue abripi paſſi ſunt. Moſchum ad morbos mentis, phantaſiamque corruptam, apud Maniacos et Melancholicos, iam multis

c) *diſſ. de Mania p. 19.*

d) *Comm. Bonon. Tom. III.*

e) *p. 355.*

f) *p. 152.*

g) *p. 267.*

multis depraedicauerat COLLINSON, in litteris ad Cel. GMELINVM[h]), vbi haec verba habentur: *Hominibus maniacis, vel mente quacunque ratione captis, datus fuit puluis alexipharmacus Sinicus, vel Antilyſſus londinenſis, ea proportione, vt ſingulorum ingredientium viginti quatuor ſumerentur grana, magno cum ſucceſſu.* His motus ipſe GMELIN, in ſua *diſſertatione de ſpecifico antidoto nouo*, morbis hoc curandis etiam Maniam et Melancholiam iunxit. In noua *Praxi Londinenſi* i), Moſchus et camphora, tanquam magna remedia depraedicantur, ſique aegri internum vſum detrectent, conſilium datur, vt haec duo, cum Opio frictione inſinuentur capiti, et ſpinae dorſi. Simul largae Venae ſectiones, fortia purgantia, ſetacea, veſicatoria capiti raſo applicanda, commendantur.

h) *exhibet excerpta Klein in Selecti mat. med. p. 199. 200.*

i) *p. 37. 38.*

Quicquid vero etiam boni citati Celebres Viri polliceantur, nondum tamen ſatis euictus mihi videtur fauſtus ſucceſſus. Potius ſemper maiori metu ancipitis euentus, quam ſpe felicioris, Practicum circumſpectum Moſchum maniacis aegris porrecturum, credo. Stringit omnino valide Auctoritas Ill. *van* SWIETEN[k]), quando Moſchi ſatis audacem doſin, ad grana ſedecim vel viginti aliquando profuiſſe ſcribit, atque in Iuuene maniaco laetum ſe,

k) *Tom. III. p. 524.*

pulchrum effectum vidisse, testatur. Verum sollicite perpendi debent ea, quae paulo ante scripserat Vir summus: *Prudentes Medici multa tentarunt, vt validiorem perturbationem sensorii communis mutarent, turbando totum corpus validis medicamentis, helleboro, vomitoriis, antimonialibus, mercurialibus. Si nondum succederet curatio, vel saltem mitigatio, saeui furoris, tentauerunt talia, quae subtili fragrantia per omnia corporis loca penetrarent, et saepe felici cum successu, hinc moschum exhibuerunt.* Quid inde sequitur? nil aliud, quam quod moschus sit desperatum remedium, desperato et miserrimo statui aegrorum destinatum, qui instar ferarum, vt SWIETENII verbis vtar, vinculis et carceribus coercendarum, et ab hominum consortio secludendarum, considerari debent. CELSO equidem monitore, *praestat omnino, in casu desperato, adhiberi remedium anceps, quam nullum.* Attamen si quid video, hoc consilium saltem tum valere mihi videtur, quando praeceps vitae periculum instat. Vita autem Maniacorum saepe per longum tempus extrahitur. Non putarem itaque citius accedendum esse ad remedium valde anceps, et morbi genio nequaquam conueniens, quam vbi omnia, sine discrimine vllo adhibenda, penitus fuerint exhausta. Neque semper, vt vehemens morbus vehementissimis et fortiter agentibus remediis tracte-

tractetur, necessarium est, quia saepe blandioribus, diu satis continuatis, certius et felicius auscultat, dum illis ingrauescit. Male ageret, sine dubio, qui si aedes deuoranti incendio restinguendo aqua non sufficere videretur, desperabundus periculum faceret, an forte oleum et vini spiritus flammarum impetum coercere possent. Quae antea cum illo Iuuene maniaco, cuius *van* SWIETEN meminit, acta sint, non refertur; forsan aliis, quam moscho ancipite, remediis, diu et iusto ordine in vsum vocatis, aeque, et constanter adiutus fuisset. Sine dubio ob laudes, quas audiuerat et legerat Cl. LOCHER, in Nosocomio Viennensi ad S. Marcum voluit etiam experiri Moschum. Dedit illum sex maniacis, ad grana 15., et scrupulum vnum; iussit eos bene tegi vt sudarent per vnam alteramque horam; invenit in quibusdam magnam mutationem et qui furebant antea, fiebant pacati: continuauit per tres menses, attamen, quod bene notandum est, ex his non nisi vnicus, in summo gradu maniacus ad se rediit; de reliquis, qui non sanati sunt, et de statu eorum insequente, nil legitur. Sine dubio manserunt vt antea maniaci, vel fatui redditi sunt. Sed aliud phoenomenon ex adhibito moscho enatum est, quod sic recenset Cl. LOCHER[1]). *Odor ille fragrantissimus, a quo integer Nosocomii tractus inficiebatur, varias*

1) *in Observ. practicis circa Luem, Epilepsiam, et Maniam p. 63.*

rias mihi creauit molestias, vt consultum inuenerim, aliud remedium moscho substituere. De his molestiis, quales fuerint, porro nil speciatim adiecit. Sine dubio autem omnes antea sani, qui habitabant in Nosocomio, vel in eo versabantur ob sua negotia, inter alias molestias, moschum olfacientibus familiares, capite turbabantur, et temulenti reddebantur, eoque ipso monstrabant euidenter, moschum capite turbatis aegris maniacis minus aptum esse remedium. Si tale foret, non vnus tantum auxilium inde cepisset, sed adiuti fuissent plures, vt a cortice peruuiano laborantes febre, a mercurio lue affecti, a ferro Puellae chloroticae. Memoratu dignissimum est, LOCHERVM, prohibitum pergere cum vsu Moschi, accessisse ad camphoram, et acetum destillatum. Hoc tandem sine camphora, purum dedit aegris maniaeis vndecim, omnes sanati sunt feliciter: ab vsu remedii, mox illud insolitum in oculis, quod Maniacis proprium est, disparuit. En experientias iteratas sibique omnes, quoad faustos effectus, respondentes, cumque cum his conueniat ratio, eius agendi modum introspiciens, comparansque eam cum modo agendi Moschi in corpus, quid impediret, quo minus in curatione Maniacorum, merito prorsus negligatur moschus, et loco eius

in

in posterum adhiberetur, vsu securum, et ideae Morbi conuenientissimum, acetum.

Nullus certe ambigo, quin declarem audacter, Moschum contrariari omnibus indicationibus, quae in therapia rationali Maniae valent, omnibusque remediis, quae ad illas implendas, ab omni aeuo, feliciter in eius sanatione fuere adhibita. Postquam, quid faciendum esse ducat, breuibus explicarat SYDENHAM [m]), *Hac methodo*, inquit, *humores, qui in hoc morbo mentis arcem impetere solent, sensim in inferiores sedes dilabentur.* HOFFMANNVS [n]) tres scopos curationis stabilit 1. vt sanguis, in cerebro nimia copia congestus, abhinc ad inferiora deriuetur, perque illud, et totum corpus, eius circuitus liber praestetur, 2. vt causae occasionales, quae naturalem sanguinis temperiem peruertunt, eiusque metastasin seu polyndromen efficiunt, remoueantur, 3. vt cerebri vasis et membranis vis systaltica deiecta restituatur. Quodsi nunc dotes omnes moscho proprias consideremus, quis tueri audebit, illas explendis his scopis aptas esse, et conuenire? Constat ex certissimis experientiis praemissis, Moschum circulum et calorem augere, sanguinemque ad caput congerere, tantum abest, vt illum circulum moderaretur, pressionemque cruoris ad superio-

m) *p. 125.*

n) *Tom. IV. Part. 4. p. 206.*

 perio-

periora vergentem, ad inferiora corporis determinaret. Quomodo ergo actio Moschi in corpus causae morbi, quae in oppletione vasorum cerebri, a congesto plethorico sanguine consistit, aliquid detraheret? Optime hoc introspexit Cl. SCHROECK o) *Non satis video*, inquiens, *quomodo in Mania hoc medicamentum, ceu a nonnullis depraedicatur, vtilem operam praebere queat, quae licet sine febre existat, reuera tamen, omnibus id attestantibus, non sine spirituum animalium exaestuatione et feruore subsistit. Vnde omnino non proderit, vel si proderit, spirituum feruorem amica sua praesentia compescet.* Quotusquisque autem a calido et calidissimo remedio compositum hunc feruorem sibi fingeret? Falleretur etiam insigniter, qui, ex recepto praeiudicio, vasa encephalica eius virtute corroborari contenderet. Quomodo enim a remedio, iugem affluxum excitante, hocque ipsa vasa infarciente, extendente, sicque debilitante, eodem tempore etiam contraria operatio, deperditae eorum virtutis elasticiae restitutio, expectari posset? Ex Croci abusu, cuius vis sanguinem propellendi et rarefaciendi, illi, quam hoc respectu moschus exerit, longe inferior est, adeo exorta fuit Mania p). Quis autem crocum vnquam pro remedio Maniacis curandis pari declarauit? multo minus ergo hoc elogium meretur Moschus.

o) *Cap. XXI. p. 119.*

p) *Breslauische Naturgeschichte 26. Versuch. p. 562.*

Pecu-

Peculiari obſeruatione probauit RIDLINVS [q]), Maniacos aromatum exhalationem non ferre. Foemina, ex eius relatione, quae inſeruiendis aegris talibus deſtinata erat in Xenodochio, Mater Maniacorum eapropter vocari ſolita, per longam annorum ſeriem, annotauit, quoties cibos in fornace, qui cubilia Maniacorum calefacit, aromatibus conditos coxerit, inde illos magis efferatos redditos fuiſſe, hocque tam ſaepe contigiſſe, vt nunc, ſi vel ipſa talem cibum deſideret, in alio loco parare illum teneatur, ſi ſibi non plus negotii faceſſere velit. Quam contraria ergo Maniacis ſit, longe maior et fragrantior, quam quae aromatibus ineſt, moſchi volatilitas, naturali interno calore exaltata, et per omnem humorum maſſam euagans, facile concipitur. Qui, vt in antecedentibus notaui, Moſcho in curatione fauet WEDELIVS [r]), alibi ſibi contradicens, verius tamen, ſcripſit: *Moſchata nimis rarefaciunt, et in motum cient ſpiritus, vnde inquietos reddunt.*

q) *lin. Med. Anno II, p. 23.*

r) *Mat. med. p. 154.*

Quomodo deinde quadraret cauſis occaſionalibus, maniam excludentibus, plethorae, motu corporis, aëre calido, potubus ſpirituoſis commotae, et ad ventrem ſupremum impetuoſe propulſae, remedium ſanguinem calefaciens, et rarefaciens? quomodo ſuppreſſis haemorrhoidibus, menſibus, locchiis, id mederetur? VSes et pur-

 gatio-

gationes repetitae methodum medendi Sydenhaminam absoluunt, vtraeque a BOERHAAVIO [s]) laudantur. His solis non pauci conualuerunt, aut saltem potior pars curationis absoluta est; nonne ergo iis interpositus Moschus, prospero eorum effectui contrariaretur, eumque necessario impediret atque irritum faceret? Frustra tentatae per omnia remedia Maniae, varix, haemorrhois, dysenteria, haemorrhagia spontanea, salutem attulit [t]). Id factum vnice, dum, depletis vasis reuulsione potente, cerebrum ab onere sanguineo sibi incumbente, aliorsum, et deorsum potissimum prouoluto, liberabatur. Si hoc per certas obseruationes constiterit, quomodo remedium cerebrum sanguine congesto onerans proficuum haberi potest? A praestantissimis Autoribus in Maniae medela commendantur refrigerantia, nitrum, fructus horaei, serum lactis acidulum, etc. vetantur omnia, acria et calefacientia praecipue potulenta calida inebriantia, vinum, et vini spiritus, a quibus non raro Mania exorta est [v]). Sane Mania omnis considerari potest tanquam perpetua, eademque furiosa ebrietas. Maniam quae est a cerebri calidiore intempetie, quibusdam similem videri illi, quae ex ebrietate contingit, notat PISO [x]). Ebrietati vero contrariantur omnia refrigerantia, praecipue autem, docente BOERHAAVIO [y]), ipsi

s) *aph.* 1127.

t) *Boerh. aph.* 1124.

v) *Vid. Act. Nat. Cur. Cent. III. p.* 225. *Act. Nat. Cur. Dec. III. Anno* 4. *obs.* 97. *Act. Erud. Lips. anno* 1712. *Oct. p.* 462. *Svieten Comment. Tom. III. p.* 532.

x) *de cognoscendis et curandis morbis lib. I. c.* 24.

y) *in Chem. Tom. II. p.* 135. *edit. Lips.*

ipſi adeo aduerſa Poſca, vt, cum ſpiritus vini fermentatitius vnicum fere ſit, quod temulentiam inducat, aceti ſpiritus eandem iam citam domet. Quando autem illa furioſa Ebrietas, Mania, per acetum deſtillatum eſt curabilis, vt ex curationibus LOCHERI in antecedentibus conſtitit, impoſſibile eſt, vt ei curandae inſeruiat calefaciens, temulentiam inducens, et inebrians moſchus. Vt vero interne exhibita refrigerantia, ita etiam externe admota, ab omni aeuo ſemper magnum auxilium Maniacis attulerunt. A veteribus et recentioribus laudata inueniuntur epithemata refrigerantia, ex herbis pro refrigerantibus habitis, addito aceto roſaceo. Applaudit CELSO [z]) MEAD [a]), quando ille, *capiti nil aeque prodeſſe* dicit, *quam aquam frigidam.* Dum balnea eademque tepida, ex antiquorum Medicorum conſilio, commendat HOFFMANNVS [b]), virtutem eorum exaltari dicit, ſi ſimul in iis deſidentis aegri capiti infundatur frigida, vel pannus frigida madidus imponatur. Ill. *van* SWIETEN [c]), plures caſus Medicos docuiſſe notat, frigidiſſima capiti applicata quandoque multum profuiſſe, inque huius rei fidem multos probatiſſimos Autores citat. Quorſum autem tendunt omnia haec conſilia? In nullum alium finem, quam vt cerebrum refrigeretur. Nonne autem illis e diametro aduerſatur calefaciens et orgaſti-

z) *lib. I. c. 6.*

a) *monit. med. p. 54.*

b) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 209.*

c) *Comment. Tom. III. p. 532. 533.*

çus Moſchus? Quomodo is faceret ad intemperiem cerebri calidam, quam peccare apud Maniacos, veteris aeui, et recentiorum Seculorum Medici aſſeruerant?

Nondum vero omnia exhauſi. Omnes Maniacos promptos ad venerem eſſe declarauit PISO [d]) abundantque Autorum monumenta hiſtoriis hominum vtriusque ſexus, qui ex amoris oeſtro in Maniam inciderunt et nonniſi amplexibus venereis ſanati ſunt [e]). An conſultum foret horum curationem aggredi aphrodiſiaco moſcho? Non obliuiſcar ſimilitudinis et analogiae, non hoc tantum reſpectu, ſed multis aliis, quae moſcho cum Opio intercedit. Quam parum hoc conueniat Maniacis fuſe et ſolide, niſi fallor, olim probaui [f]), quamuis non neſciam, a nonnullis non parum id in eorum curatione laudari, quibus accedit *Praxis hodierna Londinenſis.* Nocet autem Opium manifeſte Maniacis, quia ſanguinem ad caput propellit, idque inebriat, et temulentum reddit; eodem autem vitio quoque laborat moſchus. Minimum nemo celebrium Practicorum citius exhibet Opium, quam praemiſſis repetitis euacuantibus, per VSem, et purgationem aluinam, atque, ſi loco Opii arrideret alicui Amatori moſchus, non niſi ſub his conditionibus locum habiturus eſſet. Quando autem Mania aceto eſt curabilis, per demonſtrata antecedentia, ſecuri carebi-

d) *de cogn. et cur. Morb. p. 176.*

e) *vide Acta Nat. Cur. Dec. II. Anno 10. obſ. 126. Dec. III. anno 9. obſ. 17. Platerum obſ. lib. I. p. 80. 81. Schenckium obſervat. p. 142. 143.*

f) *Vſus Opii Sect. IV. c. 1.*

carebimus et moſcho, et Opio, maiorique multo fiducia illud praebebimus, aliorum vere indicatorum remediorum actioni haud contrarium. Acetum viribus ſuis directe, et e diametro contrariatur viribus Opii, eſtque huius antidotum, per experientiam; ergo et contrariatur viribus Moſchi. Quo magis ergo vires aceti Maniacis ſunt ſalutiferae; eo magis vires horum infallibili conſequentia illis erunt pernicioſae. Imo vero poſt mortem adhuc monſtrant Maniaci, quam parum ipſis vtriusque exhibitione conſulatur. Cultro anatomico ſubiecta eorum cadauera exhibuerunt cerebrum ſiccum, friabile, vaſa diſtenta varicoſa, atro, tenaci, vel et hinc inde fluido cruore, plexum choroideum rubentem [g]). Quo magis ergo ipſis exhibentur remedia ſanguinem verſus caput vrgentia, et inter ea moſchus, eo magis Maniae cauſa proxima increſcit, morbusque in ſua ſede confirmatur figiturque, vt omnem deinde congruorum remediorum vim eludat, et ſagaciſſimae arti inſuperabilis reddatur. Nemo, puto, ſibi perſuaderi patietur, Maniae aliam ſpeciem, in exhauſto orbatoque laudabilibus humoribus corpore, a debilitate oriundam, forte putatitia virtute neruina et cardiaca Moſchi curabilem eſſe. Bene iam introſpexit FERNELIVS [h]), moſchum imbecille cerebrum praecipue ferire. Dum tale ci-

tius

g) *Boerh. aph.* 1121. *Hoffm. Med. Syſt. Tom. IV. part. IV. p.* 191. *Morgagni epiſtola anatomico-medica* 8.

h) *meth. med. lib. V. c.* 21.



tius inebriatur quam robuſtum, omnia gravitatem capiti et temulentiam inferentia, et inter ea moſchum, difficilius feret.

§. XII.

Febres acutae, inflammatoriae.

Certiſſimum ego habeo, nemini Medentum, qui omnes effectus, quos phyſica neceſſitate corpori humano infert Moſchus, ante oculos habiturus erat, in mentem venire potuiſſe, vt eum in *morbis acutis*, et *inflammatoriis*, adhibendum ſtatueret. Et tamen, vnice ſine dubio ob huius conſiderationis neglectum, factum eſt, vt egregii coeteroquin Viri, huius generis aegritudinibus, mea quidem ſententia, plane non conueniens pharmacum deſtinarent. COLLISON certe in epiſtola ad GMELINVM [a]), puluerem antilyſſum londinenſem, in febribus inflammatoriis, quas iuges comitabantar ſingultus, ad 8. 10. 12. grana exhibitum, effectus tantum non miraculoſos edidiſſe ſcribit. Hac commendatione motus GMELINVS [b]), catalogo morborum, quibus opem ferat, etiam febres inflammatorias, ſingultui iunctas, inſerere non dubitauit. Pulueris huius tunquinenſis maximam virtutem, qua in febribus inflammatoriis proſit, moſcho deberi aſſerit Cl. VOGEL [c]), porro, efficaciſſimum eſſe praeſidium, in conuulſionibus, quae febribus acutis accedunt, prouocans ad Cel. MEAD affirmat.

Atque

a) *vide Kleiu. Select. mat. med. p. 200.*

b) *in diſſ. de ſpecifico nouo etc.*

c) *p. 355. 356.*

Atque certe, quod quidem non ſemel miratus ſum, Vir hic eximius, poſtquam in *monitis* ſuis et *praeceptis medicis* de febribus continuis, de febre cum exanthematibus coniuncta, miliari, petechiali, eryſipelacea, egerat, in calce huius tractationis addit: *Moſchi denique vires, vrgentibus praeſertim conuulſionibus, non ſemel expertus ſum. Dedi autem iteratis vicibus deuorandum bolum, ex moſchi, confectionis cardiacae* (quae, ſecundum Pharmacopoeiam londinenſem, ex meris acribus calefacientibus componitur,) *et cinnabaris antimonii, ſingulorum ſcrupulo dimidio confectum* [d]). Cel. PIDERIT [e]), in febrium periculoſis ſymptomatibus, ſingultu, tremoribus, ſpasmis, ſubſultibus tendinum, deliriis, moſchum profuiſſe notat. Sane ſi penſitetur, quod febris eſſentia conſiſtat in circulatione, naturali celeriore, calorem praeternaturalem inducente, ſanguinemque verſus caput et pulmones impetuoſius vrgente, quod ex his mutationibus corpori inductis, periculoſa febrium ſymptomata excludantur, nulla ratione mente concipi poteſt, quomodo remedium, quod, ſecundum propria verba Clariſſimi PIDERIT. *ſumme penetrantiſſimum exiſtens, circulationem ſanguinis cito et inſigni modo auget, irritat, reſoluit, potentes ſudores mouet*, quod praeterea commotum potenter ad viſcera vitalia propellit, vno verbo, quod eosdem plane, ac ipſa febris, ef-

fectus

d) *p. 21.*

e) *p. 267.*



fectus in corpore producit, febri sanandae aptum et par remedium haberi queat. Ex *Bacone* de *Verulamio* refert RAMAZZINI [f]), cum aromatum cumuli diu conclusi aperiuntur, adstantibus, qui primo, massa illa extrahunt, et agitant, instare febrium et inflammationum periculum. Nonne, non cum aëre inuadens, sed assumtus et in interioribus corporis conclusus Moschus, omnibus aromaticis volatilitate superior, et mobilior, suis effluuiis neruorum fluido admixtus et sanguine circulante agitatus, febre et inflammatione iam laborantes, male haberet, imo peius afficeret? Quid dicam de symptomatibus? Non nisi paradoxum haberi debet, conuulsiones febriles, quae ad conuulsiones a repletione pertinent, et a motu aucto exoriuntur, remedio motum augente, calefaciente, rarefactionem et orgasmum sanguini inducente, compescendas esse? Quis effuso cursu extra cancellos euagantem equum, subditis calcaribus cohibendum esse assereret? Non possum hic satis laudare Cl. SCHROECKIVM [g]), quod, licet passim vires Moschi nimis extendat, tamen ne verbulo quidem ipsum in febrium medela, commendauerit, de vi eius calefaciente et orgasmum sanguinis producente satis conuictus. In ruborem coniicere debet nostro aeuo febribus acutis et inflammatoriis eum destinantes, eius effatum: *Odoriferae moschi*

f) *de Morb. artif. c. 12.*

g) *cap. 17. de incommodis moschi p. 93. Conferatur hic §. III. et in eo Experientia II.*



moschi atomi, ea qua pollent tenuitate et volatilitate, eius sulphureo principio, quammaxime explicato et actiuo adscribenda, sanguinem, in efferuescentiam pronum, spiritusque magis agitant et accendunt, humoresque in orgasmum cient, a quibus deinde variorum symptomatum ortus est pertimescendus. In deliriis febrium inflammatoriarum, maxime si a spasticis motibus pendeant, *Praxis Londinensis* non dubitat in auxilium vocare Moschum (p. 36.) Verum si Galeno auscultare voluerimus, *Omnia odorata vehementiora*, inquienti, *caput laedunt, grauant, implent, et ad delirium interdum cogunt* [h]), diu haerebimus, an Anglorum methodum nostram facere expediat. Merito et sapienter SCHROECKIVS [i]) taxat *Riuerium*, qui *l. I. c. XI.* in phrenitide epithema, quod ex camphora moschoque aqua rosarum impraegnata constat, vtile esse, somnum conciliando et cerebrum confirmando, *Penoto* praeeunte, autumat, dicitque, *Maxima hic opus est cautione, ne febrilis qui adest calor, magis inde exacerbetur, ideoque temperatis remediis qui insistet, maiori cum securitate medebitur.* Posito tandem omni auctoritatis Veterum, et Modernorum praeiudicio, ratione et casta experientia, agendi modum in corpus docente, ducibus, concludemus, id remedium deliro capiti medelam adferre non posse, quod sanum tentat et turbat, nisi omnis ordo rerum, in tota Natu-

h) *de instrumento Odoratus c. 6.*

i) *p. 119.*

Natura inuertatur, et alius eſſe incipiat, quam fuit antea.

Refertur inter virtutes Moſchi, et laudibus is eapropter afficitur, quod potenter ſudorem moueat, et promittitur communiter, quod poſt largum ſudorem, omnia ſymptomata abfutura ſint, vel ſaltem diminuta futura. Optarem, vt omnes illi, qui ipſum febribus acutis laborantibus exhibere non dubitant, antea attenti legiſſent, vel adhuc legerent SYDENHAMVM, magnum illum febrium doctorem, quo titulo honorifico merito Londini, dum viueret, condecoratus eſt, et a grata Poſteritate adhuc vbique condecoratur. Moris erat ante felix illud aeuum, quo praxin reformare incipiebat hic alter *Hippocrates*, ſecundum praecepta SYLVII, volatilibus remediis in febribus continuis ſudores vrgere; verum quanta mala haec peruerſa methodus poſt ſe traxerit, quam ingentem hominum numerum ad plures migrare coegerit, ſatis conſtat. Didicit per experientiam SYDENHAMVS [k]), quod in omnibus morbis acutis et inflammatoriis, in quibus abigendis VS. et refrigerantia primas tenebant, haec ne hilum prodeſſent; ſi aeger ad ſudandum adigeretur, illum non modo nullum exinde commodum capere, ſed potius, dum vehementius incale-

k) p. 205. 206.

incalescebat, non raro phreneses, petechias, coeteraque pessimae ominis symptomata, sudores excepisse, quae non tam a malignitate, quam a sinistro regimine, oriebantur. Applicentur haec omnia velim, ad sudoriferum moschum, expendaturque, dum magnifice depraedicata hac vi pollet, ab eius actione non segreganda, an eapropter conueniat acutis et inflammatoriis febribus, an minus? Sed progrediamur vlterius! Supponit SYDENHAMVS, ante omnia, Viros doctos, qui sudorum prouocationem ad tollendam febrem efflagitant, eos velle sudores, qui a praeuia digestione humoris alicuius, in sanguine stabulantis, excernantur, in quo humore elaborando praeparandoque, vt per diaphoresin eliminetur, natura certo aliquo et determinato tempore fuerit occupata, cum cocta, non cruda, mouenda sint. Vrget variis locis [1]), quae expendi merentur, sudorem in principio et statu febris motam, esse nocentissimum; in declinatione morbi sudorem spontaneum tantum motum esse salutarem; sudorem non esse vnam viam, per quam morbus soluatur; hinc in omni febre neutiquam conuenire, sudorum prouocationem, in nullo morbo, excepta peste, congruere. Qui ad haec omnia vel leuiter aduertere animum voluerit, siue deinde velit, siue nolit, absolute dare tenebitur, si moschus etiam aliis

1) *p.* 283. 285. 320. 386. 565. 679.

respectibus febribus sanandis non contrarius foret, vel ob vnam suam vehementer sudores mouendi ipsi propriam vim, quam longissime ab earum medela abesse debere, sed et ob alias sonticas iam expositas debet abesse. Dolerent, credo, Sydenhamiani Manes, si ad eos rerum, inter Medicos et aegros, in hac sublunari regione gestarum, notitia perueniret, calidorum remediorum, denuo in artem, Londini adeo, introductorum vsum, contra quem Vir insignis olim omnibus viribus pugnauit, quemque aeternae obliuioni dandum sibi persuasit. Non sine summa ratione WEDELIVS m), moschata nimis rarefacere, in motum ciere spiritus, eosque inquietos reddere dixit. Quare et confectione alkerm. completa, moschum habente, non abutendum monet, in febribus, palpitatione cordis, et aliis casibus, vbi motos componere fluctus praestat. Si forte Lectorum alicui Wedeliana Auctoritas obsoleta, non adeo curanda, et insufficiens videatur, licet rerum naturae eius monita apprime respondeant et innitantur, en aliam HVXHAMI n) summi Viri, sententiam, quae durioribus paulisper terminis veritatem palam eloquitur. Egerat is antea de casibus, in quibus generosa quaedam cardiaca exhibenda sint, nominaueratque crocum, puluerem contrayeruae compositum, theriacam Andromachi, et moschum,

m) *Amoenit. mat. med. p. 154.*

n) *Tom. I. p. 306.*

ſchum, tum autem ſatis ſignificanter ita pergit: *At vero, quando turget ſanguis, furit febris, ardent omnia, porrigere talia, bachantis eſt Medici, non prudentis, qui diis manibus deuouet aegrotos. Vtinam talia non vidiſſem!* Vtinam mihi nil ſimile innotuiſſet!

§. XIII.

Sed praecipue, et ſpeciatim in febribus malignis et putridis, eximium fructum adferre multis creditur Moſchus. De huius virtute alexipharmaca integrum caput conſcripſit SCHROECK, ex quo patet, non paucos, quia venenum cordi et ſpiritibus infenſum eſt et deleterium, moſchus autem illi et his amicus et ſalutaris habetur, eundem malignitati aduerſum eſſe ſtatuiſſe. Igitur a bene multis vſus eius internus et externus, ad venenum, peſtiferum adeo, debellandum, prophylactico et curatiuo ſcopo vtilis habitus fuit, aliis interea contrarium aſſerentibus; vtrorumque mentionem facit SCHROECK. *Ioſephus* QVERCETANVS [a]) et *Athanaſius* KIRCHERVS [b]) aſſerunt, Moſchum, virtutis tantum, qua pollet, corroborantis ratione, prodeſſe in peſte, qua nempe cor et eius ſpiritus, cum ſanguine primario a virulentia impetitos, ſuſcitari, augeri inque laetitiam, pauori peſtilentiali contrariam, deduci queant. ZWELFERVS

Febres malignae.

a) *lib. II. peſt. alexicac. c. 5.*

b) *Scrut. Peſt. Sect. III. c. 8.*

RVS [c]), Moſchata, ambrata, delicatiora inventa, non niſi ſpecioſos titulos alexipharmacos mentiri, trochiſcos etiam ſublinguales plus palato, quadris aut bellariis, quam cordi in malignis tuendo inſeruire, virulentisque effluuiis nil detrahere. Sunt autem, qui non tantum non iuuare, ſed adeo nocere contendunt moſchum. BARBETTE [d]) non ſolum malignitatem non corrigere, ſed venenum magis attrahere dicit. VALENTINI [e]), citat GVIBERTVM [f]), et ETTMVLLERVM [g]), qui moſchum peſtilentiae magis noxium, quam vtilem eſſe credunt. DIEMERBROECK [h]), Moſchum hoc tempore, viros aeque ac mulieres, aegerrime tuliſſe, et poſt eius vſum ſe multo peius habuiſſe, ſcribit. Tanto magis itaque mirum eſt, recentiori aeuo ipſum apparatui remediorum malignis febribus curandis ſeruientium, a Celebribus Viris additum fuiſſe. Eius magnus Encomiaſtes RIED [i]), illum laudat in putridis, contagioſis febribus, deliriis et conuulſionibus ſtipatis. *Colliſonii* auctoritate motus Cl. GMELIN; ſpecificum antidotum nouum, in ipſo titulo diſſertationis ſuae inauguralis, ad febres malignas peſti proximas, et exanthematicas varias, commendauit. Eiusmodi elogiis perſuaſus, puluerem tunquinenſem in malignis febribus etiam commendat VOGEL [k]). Hos praeeuntes ſectatus Cl. PIDERIT [l]), obſervatio-

c) *Pharm. Reg. claſſe* 12. 13. 17.

d) *Tr. de peſte.*

e) *Hiſt. ſimpl. p.* 308.

f) *in Medico officioſo p.* 212.

g) *in Comment. Schroed. p.* 795.

h) *in annot.* 15. *ad librum III. c.* 5. *de peſte.*

i) *in transact. phil. anglicanis Vol.* 43. *p.* 217. 234.

k) *p.* 355.

l) *p.* 267.

vationes docuisse, dicit, quod Moschus, ad scrupulum integrum sumtus, profuerit ad symptomata periculosa febrium malignarum debellanda. Mouerunt mirae hae virtutes, ipsi adscriptae, facile illos medentum, qui iam eum in deliciis habere praeiudicio abrepti inceperant, vt, quacunque febre, aut motibus febrilibus praesentibus, si pulsus paulo debilior et exilior, sub eius decursu, euacuationibus artificialibus et naturalibus humorum praegressis inductus, obseruaretur, statim, nulla etiam regnante Epidemia, malignam et putridam febrem adesse praetenderent, atque eapropter ad moschum, tanquam ad sacram anchoram, confugiendum esse reputarent. Certum omnino est, vbi febris maligna, ibi pulsus debilis, sed propositio haec non est conuertibilis, vbi pulsus debilis, ibi febris maligna. In febre vere maligna omnino pulsus excitandus est, sed, in quo cardo omnis curationis versatur, diathesis humorum putrida simul praecauenda, et oppugnanda. Moschus omnino excitat pulsum et circulationem viuidiorem reddit, sique nullum aliud daretur cardiacum, omnino illo opus foret, maxime si simul esset antisepticum. Quoniam vero eum tale esse nemo hactenus demonstrauit, praeferenda ipsi sine dubio erunt et exhibenda, illa cardiaca, quae simul sunt antiseptica, acetum, vinum rhenanum, myrrha, camphora,

cortex peruuianus. Elegantiſſima eſt, ſimplex quidem, ſed arcana, et maxime proficua, quam tradit BOERHAAVIVS [m]), methodus medendi febribus malignis, epidemice graſſantibus, virium iactura, pulſu celerrimo debili vix percipiendo, reſpiratione impedita, et anxia ſiccitate oris, deliriis leuibus, aliisque ſymptomatibus, quae recenſet, ſe prodentibus. Abſoluitur ſub iuſto regimine, fomentis capiti, manibus, epigaſtrio aſſidue applicatis, ex aqua et aceto; pedibus et nuchae epiſpaſticis, ex fermento panis, cum ſale, et aceto; (non Veſicantibus, quae communiter commendata ſollicite diſſuaſi) potu largo, ex decocto hordei, cum ſucco citri, aurantii, rob ribeſ., ceraſ. ſambuci; cibo ex panada cum pauxillo vini; medicamentis, quae putredinem arcent, humorumque nimiam diſſolutionem prohibent, quale proponit ex ruta, ſcordio, cortice citri, ſucco citri, vel aceto, aqua communi, rob ſamb. et aqua Cinam. Eiusmodi praeſidiis antiſepticis et cardiacis inſtructi, tuto carebimus Moſcho, febri ipſi curandae minus apto, atque inſuper quaedam ſymptomata potius exaſperaturo, quam mitigaturo. Quis enim ab eo, caput obnubilante, graue et temulentum reddente, cephalalgiam, ſoporem, delirium, mitigatum iri expectauerit? Ad haec ſymptomata camphora et acetum ſine

m) *in Epiſt. ad Baſſandum No. X.*



ſine omni contradictione, annuente et acclamante experientia, longe aptiora, et certiora ſunt pharmaca: Dum de *Diemerbroeckio* verba facit SCHROECKIVS[n]), referente, in peſte neminem moſcho adiutum fuiſſe, *Neque id mirum*, inquit, *cum inter ſymptomata, febrem malignam, aeſtum internum magnum, ingentes capitis dolores frequenter adfuiſſe, recenſeat, quorum ſane intuitu, moſchus, imprimis liberaliori doſi, crebrius adhibitus, prodeſſe non poterat.* Vtilem eſſe moſchum in febribus, ſi affectiones ſpaſmodicae, ſubſultus tendinum, cardialgia et ſingultus acceſſerint, affirmat Cl. WHYTT.[o]) Illuſtris QVARIN[p]), in febre putrida, inter medicamenta, quae a tremoribus, ſubſultibus tendinum, et conuulſionibus indicantur, moſchum refert; dum vero ſimul camphoram, radicem Serpentariae, ſpiritum CC. Eſſentiam caſtorei commendat, facile patet, quod illi prae his ſingulares virtutes haud tribuerit. Cel. FVLLERVS[q]), in febribus mali moris, quae vapores deleterios ad ſtomachum ſuffundunt, ſpiritusque labantes irritant, inque confuſiones ac ſpaſmos adigunt, et ſingultum inde excitant, nondum hactenus ſe nouiſſe praeſtantius remedium, ait, quod aliquando diuinitus quaſi ſuccurrat, et ſingultum auferat, quam *Iulapium*, quod deſcribit, *Moſchatum.* Quis his laudibus lectis non excitatus et coactus,

n) *p. 109.*

o) *Nervenkrankheiten p. 280.*

p) *de curandis febribus et inflammationibus p. 75.*

q) *p. 206.*



moſchum, hucusque forte a ſe non condigne honoratum, reuerenter habere inciperet? At vero grande ſonantem hunc cantum triumphalem, ſtatim ſubſequitur tragicum et lugubre melos. Ita enim immediate pergit FVLLERVS: *Vt tamen ingenue fatear, ſymptoma hoc adeo indomabile et funeſtum ſaepe obſeruaui, vt neque hoc, neque aliud quodcunque remedium vel excogitare, vel inuenire mihi adhuc licuit, quod illi vincendo par eſſet, ſed totis viribus licet certauerim, fatis tamen fruſtra obniſus, mortem depellere non potui.* Credo hoc facile, namque ſingultus, cum comitatu aliorum mortiferorum ſymptomatum, gangraenoſam viſcerum corruptionem, eandemque arti immedicabilem, atque neque moſcho, neque aliis remediis ſuperandam, alto ſonitu clamat. Eadem impotentia moſchi ſeſe exerit in delirio, et ſopore, cum quibus moriuntur febre maligna decumbentes, cuius cauſa, extiſpicis id docentibus, nulla alia, quam gangraenoſa corruptio, vel abſceſſus, in cerebro.

Poterant adhuc eius Fautores et Defenſores recurrere ad ſudores, quos potenter pellit Moſchus, cuius beneficio ſubtile miaſma, humores ingreſſum, in auras feliciter abigi queat. Cel. SCHROECK[r]), moſchum, in corpus admiſſum, venenum virtute

r) cap. XVIII. p. 105.

tute sua, qua sanguinem rarefaciendo, ad diaphoresin laticem eius disponit, per poros vt eliminetur, compellere, dicit, quam vim sudoriferam ratio ei satis vindicet. Confidenter vero his praeconiis oppono ea, quae antea de sudore in febribus acutis inflammatoriis monui. In principio principii haec intentio tantum locum habet, sed nil praerogatiuae moscho intercedit, cum aliis sudoriferis. In prima periodo malignarum, bolum theriacalem cum sale volatili cornu cerui, hoc fine commendat PRINGLE [s]). In secunda periodo, causam morbificam iam nimis alte radicatam dicit, quam vt per sudorem possit eiici, ipsumque sudorem spontaneum, nisi cum leuamine erumpat, non cogendum, et vrgendum, imo vero si debili, et celeri existente pulsu, plenis guttis effundatur, potius sistendum esse. Quod febrem attinet, eam nec vesicatoriis, nec alexipharmacis sudoriferis cedere dicit. Habet Aegrum, qui aliquot doses Moschi ad grana 25. sumsit, quibus pulsus eleuabatur, sudorque largus mouebatur, febre nihilominus ad decimum septimum diem perdurante, leni madore cutis, et vrina turbida tandem iudicata. Nil ergo iuuaminis in hac maligna febre attulit Moschus, qui sua in circulum actione eam magis debuit iuuare et intendere, quam eius decursum breuiorem reddere. Id praeterea diligenter

s) *von den Krankheiten einer Armée p. 294. sq.*



considerari debet, quod malignarum solutio praecipue per aluum diarrhoea oborta eueniat, ad quam promouendam moschus penitus ineptus est.

Magnum deinde argumentum pro probanda Moschi praecellentia inde desumitur, quod exanthemata ad cutem determinet, et retrocedentia valide expellat. Maiori dosi ipsum hoc facere notat CRANTZ [t]). Cel. PIDERIT [u]) *in Variolis*, inquit, *et aliis morbis exanthematicis retrogressis, praeter omnem expectationem spasmos, conuulsiones, et singultus aufert, pulsum erigit, et exanthemata versus exteriora excitato sudore copioso ducit.* Haec autem symptomata certe non virtute sua specifica antispasmodica, vltra omnem expectationem agente, sed vnice eapropter aufert, dum illud acre, quod intus irritatione sua neruosas partes ad spasmodicos motus sollicitat, ab illis liberum, versus cutem determinat. Nullam vero praerogatiuam hoc respectu is possidet, quia omnia cardiaca et sudorifera idem praestant. Leuis praeterea diaphoresis, largis sudoribus pro his finibus, semper praeferenda. In Variolis luridis, liuidis, aut parum acuminatis, quando febris adest lentior, generosa quaedam cardiaca exhiberi debere, vult HUXHAM [v]). Nominat propterea crocum, pulu. contray. compositum, Moschum, theriacam, imo et dulce vinum. Et alibi [x]) in

t) *p. 152.*

u) *p. 267.*

v) *Tom. I. p. 306.*

x) *p. 138.*



in eiusmodi crudis, pallidis, iehorosis variolis, pulsu debili et vrina tenui aquosa, in quibus calidiora medicamenta requiruntur, moscho et reliquis, citato loco nominatis, adhuc adiicit myrrham, camphoram, mithridatium, confectionem cardiacam, quae ex meris aromaticis constat. Facile capitur, haec omnia non simul exhibenda et coniungenda esse, sed relictum esse arbitrio Medici, et perinde fore, quodnam remedium ex hoc catalogo seligatur. Id vero certum est, si hoc vel illud alteri praeualeret, illi primum locum decernendum fore, quod non tantum cardiacum est, sed et simul antisepticum. Camphora ergo et myrrha, cortexque peruuianus, qui, quod miror, huic catalogo deest, praecipue in vsum vocari mereretur. III. BOERHAAVIVS y), in variolis lentis, planis, depressis, non assurgentibus, cum pulsu crebro et debili, ac aliis prauis symptomatibus, quae summe periculosa declarat, remedium componit, ex radice contrayeruae, serpentariae, ruta, infusis cum aqua destillata rutae, et vino rhenano, addito deinde saccharo, de moscho tacens. Atque ne aliquis, nimiam forte fiduciam in eum ponens, intempestiue illud in Variolis praescribat, cauet Illustr. ROSEN z). Nota est *Sydenhami* Prognosis: *Quo magis quartum diem praeuertunt variolae, eo magis confluent.*

y) *in epist. ad Bassadum quae habetur in Comment. Swieten. Tom. V. p. 72. et in Collectione epistolarum ad Bassandum Viennae edita 1778.*

z) *Kinderkrankheiten p. 174.*

fluent. Nullo vero alio modo eam irruptionem, ante quartum diem ſecure praepediri poſſe dicit ROSE'N, quam ſi primis diebus, nec moſchus, nec camphora praeſcribatur, et regimen frigidiuſculum obſeruetur. Quodſi autem tardius erumpant, expellentia camphoram et moſchum prodeſſe dicit [a]). Haec manifeſte demonſtrant, Cel. Virum in principio febris varioloſae a moſcho motum circulatorium auctum, et calorem, tanquam noxios metuiſſe, illumque non niſi pulſu tardo, et debili deſtinauiſſe. Videant igitur ii, qui in aliis acutis et inflammatoriis, non exanthematicis febribus, hoc remedium perperam commendant et collaudant, quam parum ipſis id conueniat.

a) *diſſ. de Variol. curat. §. 9.*

Paucula hic commodam occaſionem nacto dicere liceat de Moſcho, vt *Amuleto.* Variolis peſſimis Vpſaliae graſſantibus, et multos puſiones abripientibus, Cel. LINNAEVS [b]) Moſchum liberorum ſuorum collis appendit, quo id impetrauit, vt a contagio intacti manerent. Cel. ROSE'N recenſet, Norlandiam inhabitantes moſcho vti vt amuleto, ſe autem experientia deſtitutum ait, prouocat vero ad Epidemiam Vpſalienſem, in qua profuerit. Ego illuſtrium Virorum auctoritate motus dilectiſſimo 12. annorum filio, vt mali moris graſſanti-

b) *amoenit. acad. Vol. V. exanthemata viua.*

ſantibus variolis haud corriperetur, moſchi grana 4. in ſacculo appendi, ipſi ac toti domui ſat moleſtum. Sed poſt tres hebdomadas elapſas nihilominus ſat copioſis plectebatur, id quod ſincerus teſtor.

§. XIV.

Morbi Capitis.

Peccarem in moſchi putatiua et in opinionibus fundata merita, ſi, expenſa in antecedentibus *Mania*, reliquos potiores morbos capitis ſicco pede tranſirem. Moſchum capiti amicum eſſe, imprimis apud Viros, aſſerere auſus eſt HARTMANNVS [a]). Tantam vim poſſidere moſchum, cerebri temperiem confortandi, vt aliis nullis cedat, affirmat BRVNNERVS [b]), addit interea, quod multum his laudibus derogat, *plerosque aegrotantes ob idioſyncraſiam capitis, ipſum non bene ferre poſſe.* Duo diſtincta capita conſcripſit SCHROECKIVS, de *Moſchi Virtutibus cephalicis in genere, et in ſpecie* [c]). Eum inſignem obtinere virtutem cephalicam, extra omnem controuerſiam poſitum credit, torpidos ſpiritus excitando, aut impuris halitibus obnubilatos priſtinae ſerenitati reſtituendo [d]). Varia deinde Auctorum cephalica remedia dicta habet, quibus moſchus adiicitur [e]). Vagus ſatis eſt apud Medicos conceptus, remedii cephalici. Sapientiores, qui terminis inanibus, fabulis et commentis lepidis de ſpiritibus, ſibi non

a) *Prax. chym. p. 63.*

b) *Conſil. med. p. 51. 52.*

c) *caput XX. et XXI.*

d) *p. 115.*

e) *p. 116.*

non placent, intelligunt ſub hoc nomine remedium; quod cerebrum et neruos eorumque fluidum grato ſtimulo excitat, et mouet; vel, quod cerebrum, et totum genus neruoſum corroborat. Quod ſtimulo in cerebrum et neruos, inſuperque ſatis valide, agat Moſchus, nemo negauerit, id per Experientiam primam in ſuperioribus ſatis conſtitit; quod vero rarius amico, frequentiſſime autem inimico, in illos operetur, et varias turbas concitet, eadem experientia loquitur, cum iis, quae de malo hyſterico elocutus ſum. Hoc ergo reſpectu cephalicum remedium vix haberi poterit. Deinde remedium, quod humores ad caput pellit, vaſa encephali implet, diducit, extendit, debilitat, neruosque premit, et grauat, quod vaſorum laxitatem, et atoniam poſt ſe relinquit, elogium cephalici, neruini, roborantis remedii mereri vix poterit. Nulla remedia vocari poſſunt roborantia, niſi ea, quae elementa apta continent, vt fibra debilis his ipſi applicatis, reddatur fortis, horum autem catalogo, qui cum nutrientibus, non niſi acida, auſtera et ſubadſtringentia complectitur, nemo ſagaciorum Medicorum Moſchum intulit. Dum hic capitis dolorem, ſolo odore exceptus, toties ciet, eidem medelam non facile afferet, neque ab intemperie frigida pendentem, cui eum cautior tantum deſtinat SCHROECKIVS [f]), amoue-

f) *Cap. XXI. p. 117.*

amouebit, nam et hic humores frigidos lentos pituitoſos, euacuatos et reuulſos a capite poſtulat, non verſus illud determinatos. Recordor, dum haec ſcribo, optimae ſpei iuuenis, qui a ſola ſtudiorum intemperantia, hodie quidem non adeo frequente, primo hypochondriacus, deinde melancholicus factus eſt. Varia moralia et phyſica remedia in vſum vocata ſunt, ſed incaſſum, namque deinde incidit in phantaſiam corruptam, mentisque debilitatem. Recurrebatur ad balneum frigidum, in quo ſedentis capiti contuſa glacies imponebatur, quae et in balneum iniiciebatur; eodem tempore per diem moſchati pulueres ad gr. V. exhibebantur. An haec methodus per ſeptimanas adhibita rationalis audire queat, an prudenter, omnibus corporis exterioribus conſtrictis, quae ad atonica vaſa encephalica humores vrgebant, moſchus hos aeque ad ea vrgens, et caput obnubilans porrectus fuerit, Lectores diiudicent. Minimum his artibus nil boni impetratum, ſed miſer iuuenis, indies mente et corpore debilior, mortuus eſt. Fallitur autem, per antea dicta, SCHROECKIVS [g]) prorſus, licet varios autores ſecum ſentientes adducat, quando *Vertigini*, dum cerebrum infirmum roborat, et vaporum, ſpiritus animales in motum peruerſum concitantium, diſcuſſionem promouet, moſchum auxilium non

g) *p. 123.*



non denegare exiſtimat. Quomodo enim, quando fragrante ſuo vapore, ſanis adeo caput graue, temulentum, et vertiginoſum efficit, aegris vertiginoſis leuamen adferet? Si plethora praeſens, ſi ſanguis copioſius caput alluens malo cauſam praebeat, non poterit non huic potius ſuppetias ferre, quam eandem remouere; ſique cruditates in ventriculo id foueant, quid ad illas eliminandas, et hunc roborandum, faceret Moſchus? Sed vlterius!

Paralyſi contrariatur Moſchus, SCHROECKIVS [h]) inquit: *Neruis enim dicata eſt Medicina, qui frigidis offenduntur, calidis vero et ſiccis delectantur. Si ſpiritus motui dicatas partes irradiare ceſſent, ſi nerui frigido pituitoſo humore obſtructi tranſitum ipſis denegent, aut torpidiores ſint, et quaſi coagulati, Moſchum reſoluendo, attenuando, diſcutiendo, exſiccando, calefaciendo, excitando, conducere, mox eluceſcit.* Ad varios Autores idem ſtatuentes prouocat. Pergit deinde: *Dum vero paralyſi maxima cum Caro, lethargo, et apoplexia eſt affinitas, ideoque iisdem remediis omnes hi affectus curari poſſunt, igitur Moſchi virtutem ad illos quoque ſe extendere, nemo dubitabit.* Quod ad vtrumque morbum proficere credatur, notat VALENTINI [i]). ZWELFERVS [k]), aquae apoplecticae officinalis Autor,

h) *p. 120.*

i) *p. 307.*

k) *Pharm. Reg. p. 666.*

ſor, cui moſchum adiecit, elogium illi affixit, quod roborando cerebrum et vniuerſum neruoſum genus, ad arcendam apoplexiam ſit praeſtantiſſima. Solus autem SCHVLTZIVS [1]), ab vſu in eiusmodi caſu Practicum circumſpectum deterrere, et auertere poterat, qui de Balſamo apoplectico, Moſcho praegnante, apoplecticorum naribus, vertici, temporibus illini ſolito, ſcribit: *Quod quidem, an realem fructum aliquem et quantum afferat, ex indole morbi huius, qui expanſiua talia non bene fert, aliis diiudicandum relinquo.* Olim iam ſapienter de aquis apoplecticis, quae fere ſemper Moſchum continent, ſcripſit Noſter SENNERTVS: *In apoplexia, a ſanguine ortum habente, vel etiam vbi ſanguini permiſti humores abundant, non ſatis tuto adhibentur aquae hae, cum humores fundendo, et caput replendo morbum augeant.* Facile, iuſta idea Apoplexiae, quae oppletione, et extenſione vaſorum cerebrinorum, a coaceruato ſanguine plethorico, phlogiſtico, atrabilario, ſeroſo, pituitoſo, abſoluitur, ante oculos habita, et moſchi vi, ſanguinem in motum concitandi, eumque expandendi, vel obiter conſiderata, vnicuiuis clarum euadere debet, illum non ſaltem nullum fructum adferre poſſe, ſed certiſſimam noxam inducere debere. Multo lenius, ſuauiusque ſane nares feriunt, imo vero gratiſſimo ſuo odore fere omnibus placent

1) *de viribus medicamentorum. c. 48.*

Med. pract. lib. I. part. II c. 33. p. 693. in fine.



cent Violae, cum moschi fragrantia plurimis aduersa sit, et tamen optima quaedam, antea sanissima Virgo, solis illarum effluuiis, morte subita apoplectica et suffocatiua fuit extincta. Tragicus hic euentus vel solus docere aptus est, suaueolentia nequaquam conuenire morbis capitis, eorundemque grauissimo, apoplexiae iam praesenti. Omnem curationis cardinem vnice verti norunt intelligentes, in deplendo cerebro, vasisque cerebrinis a grauante principia neruorum sarcina congesti sanguinis, liberandis. Quis sana ratione vtens non erit conuictus, remedium, quod aggesto sanguine haec vasa diducit, et opplet, quae in hoc statu neruos comprimunt, et grauant, eorumque functiones ita impediunt, et suspendunt, potius esse apoplexiferum, quam apoplexifugum, vt his terminis vtar, quos cantharidibus imponit TISSOTVS.

Attamen Paralysi sanandae destinatur Moschus et, quod iam in antecedentibus notaui, ipse BOERHAAVIVS virtutem antiparalyticam ipsi tribuit [m]). *Potest ita afficere neruos,* inquit, *vt, simulac odor eius percipitur, mox oriantur dirissimi spasmi, imprimis in hypochondriacis, et hystericis, ergo miram habet efficaciam in systema neruosum, hinc dum in paralysi indigemus tremoribus concutientibus, quos Hippocrates et Aretaeus adeo commendant, Moschus certe princeps est.* Pace summi

m) *de Morb. Neruorum, de paralysi p. 744.*

ſummi Viri dicam, Moſchum non tantum ſyſtema neruoſum concutere, verum ſimul circulationem accelerare. Hinc inquirendum, an, quousque, et quando aucta circulatio paralyticis conferat. Qui febrem, ſine reſtrictione, omnem paralyſin curare credunt, omnino et circulationis auctae reſpectu conferre moſchum paralyticis ſtatuere debent, maxime ſi inter ſanguineam, et feroſam, calidam, et frigidam, non diſtinguant. Vrſi vero hanc differentiam realem, et bene fundatam, in tractatu meo *de vſu ſalutari et noxio Veſicantium* [n]), atque demonſtraui euidenter, febrem veſicantibus excitatam non ſaltem in paralyſi ſanguinea non conferre, ſed potius valde obeſſe. Idem etiam iam de Moſcho, circulum accelerante, et ſanguinem rareſaciente dicendum, qui, praecipue praegreſſa Apoplexia ſanguinea, in hac ſpecie paralyſeos nocet certiſſime, ſanguinem in circulum abeuntem eo pellendo, vbi, quod a coaceruato in encephalo ſanguine ſeceſſit, ſerum ſtagnat, atque pro differente plaga, quam occupat, hemiplegiam, vel aliam magis particularem paralyſin ingignit. Scio, Viro mediae atatis, plethorico, lautae diaetae adſueto, ſuperata apoplexia hemiplectica, per plures dies, ſingulis, quatuor datos eſſe pulueres ſulphuris antimonii aurati tertiae praecip. duo, et moſchi tria grana habentes,

n) *Sect. poſteriore.*

 bentes,

bentes, ſed nil boni ab iis impetratum obſeruaui, ſomnus impediebatur, caput graue et dolens reddebatur. Aliis tandem variis praeſidiis, ſanitas vtcunque obtenta. Forte in paralyſi, vere pituitoſa et ſeroſa conferret melius. Sed dum in catalogo antiparalyticorum, a BOERHAAVIO ſuppeditato [o]), ad viroſa peruenit *van* SWIETEN [p]), caſtoreum adeo moſcho praefert, quia, vt zibethum, tantam grauis odoris vim diffundit, vt hypochondriacis et hyſtericis ſaepe magnam moleſtiam faciat, adeoque, ſi non aegris, ſaepe ſaltem adſtantibus noceat.

o) *aph.* 1068.
p) *in Comment. ad hunc aph.*

§. XV.

Morbi Pectoris.

Venio ad *Morbos Pectoris*. De *viribus pectoralibus*, et *pneumonicis* SCHROECKIVS peculiare conſcripſit caput [a]), adeoque has negligere non debui. Conſideremus primo *Aſthma pituitoſum*. De hoc laudatus Autor, qui multa remedia antiaſthmatica, quae Moſchus ingreditur, recenſet [b]), *Aſthma*, inquit [c]), *cum ſaepe ab humore craſſo, et viſcido, bronchia pulmonum obſtruente, oriatur, Moſchus virtute ſua attenuante eundem reſoluit, et ad faciliorem eiectionem diſponit. Quin et, dum a tenuium humorum ſeroſorum copia non minus quandoque inducitur, illam quoque calida ſua potentia diminuere valet.* SENNERTVS [d]) ſuis,

a) *caput XXVI.*
b) *p.* 131.
c) *p.* 132.
d) *lib. II. Part. III. c.* 2 *p.* 328. 329.

ſuis, contra aſthma humorale, propoſitis remediis, ex Fl. ſulph., benzoes, Gumm. amon. croco, moſchum quoque adiecit. Crediderim, omnia expectorantia, ſine exceptione, oxymel ſimplex et ſquilliticum, etc. quia magna, et proportionata viſciditatibus, in aſpera arteria, bronchiis et earum cellulis ſtabulantibus, doſi, largiter exhiberi poſſunt, cum in determinandis moſchi praebiis cautio requiratur, longe eſſe praeferenda, neque enim vlla ratione illis, quoad operationem, praeferri meretur. *Petrus* POTERIVS [e]) de aſthmate dicit: *In quibusdam tanta eſt mali ferocia, vt a laudano incipere cogamur. Pro laudano accipe pilulam ex croci gr. III, opii thebaic. gr. IV, et moſchi gr. I. capiat eam loco coenae.* Sine dubio loquitur de aſthmate ſpasmodico HOFFMANNVS in adiectis notis, eapropter ait: *Quando aſthma eſt ſpasmodicum, vt hyſtericum, et hypochondriacum, anodyna cum antiſpasmodicis mixta, praeſentiſſima ſunt.* Bonus *Poterius* certe non intellexit habitum et affinitatem Opii et Moſchi, inter ſe. Larga ſatis, et ſane nimis larga doſis opii, non indigebat, vt parca, reſpectu eius, doſis moſchi adiiceretur. Periculum ſeſe cum eo feciſſe, in aſthmate ſpasmodico, et tuſſi conuulſiua, recenſcet WHYTT [f]), ſed doſes nimis paucas fuiſſe memorat, quam vt certi quippiam, de eius fructu in his caſibus,

e) *in Cent. III. c. 22.*

f) *p. 280.*

 ſibus,



ſibus, determinari poſſet. Certe, vt in aliis morbis, ita et in curatione conuulſiui aſthmatis, variae et diuerſae cauſae reſpiciendae ſunt, earumque ablationi ſtudendum. Notatu dignum eſt, dum illas in ſequentibus tradit, et iis medendi conuenientem methodum exponit laudatus Autor [g]), ipſum vltro aſſerere: Verum aſthma ſpasmodicum, nulla exiſtente in pulmonibus obſtructione, neque iis pituita viſcida oppletis, optime VSe, et opio curari. Sane VSi, ſi neceſſaria fuerit, in totum repugnat et contrariatur Moſchus, plethoram, quam illa minuit, rarefactione ſanguinis, denuo ingenerans. Demta vero illa, ſi opio locus, facile poterit abeſſe moſchus. In tota de aſthmatis ſpasmodici therapia, quam tradit, licet paſſim caſtorei, aſae foetidae, ſpiritus aetherei, mentionem iniiciat, de moſcho nil habet, infallibili, opinor, teſtimonio, quod ipſum, pro ſanatione Aegrorum aſthmaticorum, non ſimpliciter neceſſarium habuerit.

g) *p.* 374.

Adiiciam adhuc paucula de *tuſſi*, eademque *conuulſiua* praecipue, nam fluidorum vitia tuſſim proritantia vix auferre valet Moſchus. Non bene intelligo, cur Magnus CRATO [h]) compoſitioni ſui Oxymellis moſchum addiderit. In tuſſi conuulſiua infantum Iulapium moſchatum commendat FVLLER [i]). In eiusmodi tuſſi ſpas-

h) *Conſ.* 79.

i) *p.* 206.

ſpasmodica vſum Moſchi ingentem eſſe, et infantibus eum ad grana 4. 6. 8. exhiberi, dicit PIDERIT[k]). Illuſtris ROSEN[l]), nondum ſe occaſionem habuiſſe dicit, hoc remedium adhibendi, cum vero in aliis morbis cognatis bonum effectum viderit, ſine periculo, probabilius cum emolumento, id poſſe praeſcribi, dicit. Interim methodum deinde tradit, multiplici experientia et ſummorum Virorum, HOFFMANNI[m]), RIDLEY[n]), HVXHAMI[o]), BASSEVILLE[p]), FORBES[q]), de GORTER[r]), aliorumque teſtimoniis comprobatam, quae blandioribus emeticis, purgantibus et cortice peruuiano abſoluitur, cum fomes pituita, acrimonia infecta, in ventriculo lateat, et mala digeſtione ſemper innouetur. Ipſe WHYTT[s]), corticem mature vſurpatum, optimum remedium eſſe affirmat, in conuulſiua tuſſi. Certe, omnium praeſtantiſſimorum horum Medicorum vſu valens et rationalis methodus, omnem Moſchi adhibitionem in totum excludit.

Vix credidiſſem ad *Phthiſin* adeo Moſchi vſum extendi poſſe. Non dubitat interea SCHROECKIVS[t]), quod is aliquando et in hoc morbo conducere queat, cum *Galenus* ad exſiccanda pulmonis vlcera Hedychroum, ſpicata et foliata vnguenta, aſſidue naribus admota, laudauerit, *Langiusque* et *Williſius* odoramenta fragrantia, vaporationes, et ſuffitus, in phthiſi deplorata, quoniam

k) *p. 257.*

l) *Kinderkrankheiten*

m) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 414. 415.*

n) *obſ. 20.*

o) *Operum Tom. I. p. 98. p. 219. 220.*

p. q) *habentur in Collectione Halleriana.*

r) *Med. dogm. p. 194. 195.*

s) *p. 258.*

t) *Cap. XXVI. p. 152.*



partem affectam immediate attingunt, ad vlcus depurandum, et exſiccandum, commendauerint. Potuiſſet his Autoribus SCHROECKIVS etiam inter alios addere BENNETVM v), effumationes et vaporationes commendantem, qui tamen in formulis ſuis moſchum non habet. Sufficiunt prorſus his ſcopis, Olibanum, Succinum, Maſtiche et paucae aliae Gummi Reſinae. Ipſe SCHROECKIVS x) alio loco moſchum excludit, quando expreſſis verbis dicit: *in ſuffitu, ſuauiter odoratae eius moleculae ab igne comburuntur, et foetent*, quod et notauit SCHVLTZIVS y).

v) *in Theatro Tabidorum.*

x) *p. 145.*

y) *diſſ. de Suffimentis §. 22.*

§. XVI.

Praxis Medica Moſcho in totum, poteſt carere.

Non opus eſſe credo, vt plures adhuc morbos, quibus Moſchum deſtinant eius Patroni, contempler. Satis ex his, quos hactenus accuratiori conſiderationi ſubieci, innotuit, illum inconſiderate exhibitum, ſaepe vere noxium eſſe, ſaepe alia remedia, illius vſui, merito eſſe praeferenda. Atque hoc ipſum non minus clariſſimum euaderet, ſi, quod ſuperfluum habeo, adhuc alias aegritudines, quae ſupereſſe videri poterant, ſigillatim edißererem. Antequam autem finiam, vt quale demum, in artis exercitiis, adeo depraedicato moſcho pretium ſtatuendum ſit, plenius eluceſcat, pono ante omnia, per ea, quae in ſuperioribus

bus attuli, tanquam euictum, Opio et Moscho inter se, ratione effectuum, arctissimam analogiam et similitudinem intercedere. Sane in *Praxi Londinensi*, quae vtrumque remedium creberrime, et largissime exhibet, quando vnum commendatur, commendatur et alterum; amboque fere vbique sibi iunguntur, et substituuntur. Patet ergo, Anglos Medicos Analogiam hanc vltro agnoscere, et ratam habere. Ab iis certe, in omnibus morbis, in quibus Moschum extollunt, laudatur et Opium. Cel. WHYTT[a]) hoc egregie iuuare dicit, et probat, in nervorum affectionibus, conuulsionibus, et spasmis, malo hysterico, doloribus sine inflammatione, colica a flatibus, asthmate spastico, (p. 271. 272. 372.) in cephalalgia rebelli, (p. 283.) in hydrophobia, (p. 360.) nausea, et vomitu, (p. 363.) flatibus (p. 370.) et aliis morbis. Ad eosdem morbos, communiter valere etiam dicitur moschus. Latius certe, in Medicina, quod sciam, moschi laudes nondum fuerunt extensae. Si his ergo morbis leuandis et sanandis Opium sufficiat, et Moschi vires semper aequet, aut superet, namque ego ne vnum credo existere casum dabilem, vbi Opium id non praestet, quod praestare dicitur Moschus, cur in praxi opus esset moscho, cuius partes opium semper felicius, et certius explet? Magna conuictione pro-

a) *von Nervenkrankheiten.*

 nuncio,



nuncio, *felicius*, et *certius*; quia illis vitiis nequaquam laborat opium, quae moſcho inſeparabiliter adhaerent. Dum de puluere tunquinenſi agit KLEIN b), qui certe Moſchi inimicus non eſt, de eo dicit, quod *locum habeat apud eos, qui medicinam hanc, odore ſuaueolente fragrantiſſimam, ferunt.* Nonne autem hoc idem eſt, ac ſi dixiſſet, Moſchum raro, vel nunquam, apud aegros locum habere? Nonne in cognitione virium, Medicamentis propriarum, verſatiſſimus LVDOVICI, veriſſime pronunciauit, quod *Moſchus pluribus ſit aduerſiſſimus* c)? Nonne innumeris, et vbiuis locorum, conſentientibus experientiis firmatus, ſcripſit CARTHEVSER d), quod ſolus odor multis, tam maſculini, quam foeminini ſexus, maxime autem foeminis hyſtericis, contrarius ſit? Nonne autem, SYDENHAMO e) teſte, hyſtericae affectiones ſunt dimidia pars morborum chronicorum? Nonne ingens non minus datur Virorum hypochondriacorum numerus? Quis igitur negaret, ſperatum a Moſcho fructum neceſſario perire debere apud numeroſos illos homines, qui contra ipſum naturalem, et inſuperabilem habent antipathiam, ſi etiam morbis ſanandis, quibus laborant, foret conuenientiſſimus? tum enim, quando ipſis prorſus contrariatur, iuuamen eſt impoſſibile. Profitetur vltro Cel. WHYTT f), de aliis remediis, in neruos agentibus, impoſſibile eſſe determinatu, quodnam inter

b) *p.* 199.

c) *in Pharmacia moderno ſeculo applicanda p.* 358.

d) *Tom. II. p.* 380.

e) *p.* 486.

f) *p.* 281.

ea

ea ſolum adhibitum maxime vtile futurum ſit, niſi antea vim huius, vel illius, in hoc, vel illo corpore, expertus Medicus fuerit. De aliis talibus neruinis remediis, fortiorem odorem ſpirantibus, quod notari debet, incertum tantum eſt, an profutura ſint, an indiuiduo cuidam conueniant, an non; de Moſcho vero ſine praegreſſa vlteriori experientia ſcitur, quod plerique et pleraeque illum auerſentur et quod, eapropter, nullam vtilitatem parere queat. Quis enim adeo emunctae naris eſſet Medicus, dum forte ipſe moſchum auerſatur, vt ſubolfacere et hariolari queat, an hic aeger, an haec aegra, cui illum praeſcribit, pertineat ad obdurato adeo et inſenſibili, ad omnia ſuaueolentia effluuia, genere neruoſo praeditos homines, qui inde non laedantur? Si aeger is, aut aegra numerum plurimorum, quibus abominationi eſt moſchus, ingrediatur, duplici ratione peccari poteſt, quando ipſi hoc remedium praeſcribitur. Primo enim inducit mala, quae ſano inducta fuiſſent, morbique genium et decurſum ſic obſcurat, ac turbat; ſi inſuper morbo non conveniat, vt ſaepe, contra commune praeiudicium, non conuenit, hunc, praeter inductas turbas, ſimul adhuc auget. Mouerunt ſine dubio eiusmodi conſiderationes, Cel. CARTHEVSER[g]), vt ſcriberet: *Quoniam adeo ſolo odore multis aduerſatur, ipſisque damna indu-*

g) *Mat. Med.* Tom. II. p. 380.



inducit, perrarissime, vel nunquam, a prouidis Medicis praescribitur, sed aliis tantummodo medicamentis, tam internis, quam externis, aquis spirituosis, rotulis, morsulis, balsamis, vnguentis, emplastris, massis odoratis, pulueribus cypriis, dosi valde exigua additur. Celebris ille Pharmacopoeus Berolinensis NEVMANNVS [h]), medicamentorum vires rerum vsu pulchre edoctus, de Moscho iudicat, quod praecipue ad odorem suaueolentem, variis rebus conciliandum, vsurpetur. An in Medicina adeo magnum vsum habeat, vt eo carere nequeat, se ignorare, dicit. *Petrus* POMET [i]), Moschum pro medicamentis parum adhiberi, ait, quia foeminis adeo aduersus est, tanto magis vero, ad gratiam suaueolente odore excitandam, variis praeparatis adiici. Sed prorsus, Moschum significantibus verbis, a praxi medica abesse vult BARTHOLINVS [k]). Nempe, ob varias rationes, quas intuitu generationis moschi praemittit, rotunde illum nobis non necessarium esse, asserit. *Veteres*, inquit, *olim eo carere potuerunt, cum ante Aetii aetatem, qui vixit tempore Constantini M., nemo Medicorum Graecorum eius mentionem fecerit, vt recte* SMETIVS *monet. Certe hodieque odoris sui suauitatem ex cloacis recipit Moschus, si vetustate fuerit inodorus. Quas delicias sibi illi habeant, qui peregrinis medicamentis inescantur, ad luxum magis, et pom-*

pam,

h) *Praelect. chym. p. 1289. 1290.*

i) *Aufrichtiger Materialist p. 483.*

k) *Act. Hafn. II. no. 19.*

pam, quam ad necessitatem. Hanc sane minime subesse, optime intellexit BOERHAAVIVS, nam in tota eius *Materia medica, Aphorismis seruiente*, in qua sane nil superflui continetur, nullibi moschus praescriptus legitur, qui tamen ipsi satis bene cognitus fuit. Turpiter fallitur *Salomo* ALBERTI, quando orationi suae de moscho epiphonema adiicit: *Ita hercle moschus necessarius est, vt si vsura eius Medicinam orbaueris, ipsa mutila protinus sit, et diminuta.* Cur remedium, vix vnquam genuinum, semper adulterinum, nihilominus tamen satis pretiosum, sine vlla sufficiente ratione, in artem intruderemus? Qui id ad abusum vsque, largissimis dosibus, aegros deuorare cogunt, aut nesciunt, aut non perpendunt, quod per Experientias, a me huic dissertationi praemissas, et per effatum verissimum Ill. TISSOTI, operetur, vt opium, cui fere in certa dosi queat substitui. De hoc verius scripsit SYDENHAM, quod *sine eo, manca sit et claudicet Medicina.* Hoc seruato in arte, etiamsi in totum absit Moschus, illa firmo rectoque gressu incedet felix. Nemo putet, moschum leniorem esse, et innocentiorem Opio, adeo, vt in illius exhibitione non ita magna deliberatione, et circumspectione opus sit, quam in exhibitione huius. Inculcat nempe TISSOT[1]), eandem praecautionem poscere prae-

1) *de Epilepf. p. 280. edit. germ.*

praeſcriptionem Moſchi, quam Opii. Vt Opium iuſto largioribus doſibus, nimisque repetitis vicibus, vſurpatum, multa mala grauia, inducere, et necare etiam poteſt; ita, pro doſeos proportione, idem patrare poteſt Moſchus. Vt, qui ſub vſu Opii moriuntur, apoplexia moriuntur, ita etiam nimis liberalis vſus moſchi lethargum et apoplexiam ingenerare poteſt, in diſpoſitis praecipue. Forte grana 8. 10. 12. moſchi ita agunt in corpus, ac agit granum vnum Opii. Sed ne quidem proportio rite determinari poteſt, vt ſtatim videbimus.

Sinenſes, CRANTZIO [m]) referente, exhibent moſchum, a granis 10. ad 48. *de* HALDE [n]) eos, paruulis infantibus, tres dare pilulas moſchi vſque ad ſeptem, piſi magnitudine, diſſolutas, adultioribus autem duas decimas partes vnciae, vel vnam decimam partem, vel quindecim eiusmodi pilulas. Inde autem nondum ſecuritas adhibitionis, et innocentia moſchi probatur. Populi orientales ſumunt Opium ad drachmam dimidiam, vnam, duas, tres pro vna doſi [o]), ſed quod bene notandum, a minoribus doſibus incipiunt, et maioribus ſenſim adſueſcunt. Et tamen granum vnum vel duo, non adſuetos ducere poſſunt in multa mala, et paulo grandiores doſes, in peri-

m) *p. 152.*

n) *deſcription de l'Empire de la Chine Tom. III. p. 605 ſq.*

o) *vid. Vſus Opii Sect. I. c. vlt.*

periculum vitae, ipſamque mortem. Sine dubio etiam moſchi largioribus doſibus ſenſim adſueſcunt Sinenſes. Angli Medici recentiores aliis in exhibendo Opio audaciores ſunt, quam in laudano ſuo porrigendo erat Gloria eorum, Magnus SYDENHAM, non mirum ergo, quod ita quoque ſe gerant in exhibendo Moſcho. Illam audaciam hi propagarunt ad alias Regiones. Profitetur Cel. NICOLAI p) Prof. Ienenſis, ſe, olim timidiorem in dando Opio, edoctum autem tandem fuiſſe, timorem hunc eſſe fruſtraneum. *In tetano, et Trsimo*, inquit, *effectus Opii et Moſchi, a multis Illuſtribus Medicis ſpeciatim boni, et incomparabiles deprehenſi ſunt. Opus autem eſt, vt Opium in his morbis non paruis doſibus exhibeatur, ſed ſtatim in principio ſat magnae praebendae ſunt, ſique aeger illas ferat, ad adhuc maiores progrediendum* (Si vero illas non ferat, et ab iis multa mala non indifferentia, nec adeo cito et certo expugnanda, ſequantur, quid tum?) *Nil mali in his caſibus patrat opium, quod aliis in morbis afferre ſolet. Nullum infert ſtuporem, nullum ſoporem, nullum prauum effectum, qui alioquin a largo nimis vſu obſeruatur.* Recenſet poſtea varios caſus, prouocatque ad celebria nomina Practicorum, CLEOPHANE, HVNTER, FARR, HVCK, CALMER, qui omnes in Triſmo, Tetano, Opiſthotono, ingentes doſes Opii exhi-

p) *Recepte und Cur-Arten p. 1084.*

exhibuerunt. Impudentis fere esset, his omnibus obloqui, quos tamen non facile imitarer. Interim actio Opii in corpus humanum, siue id sanum sit, siue aegrum, semper est eadem. Vasorum encephalicorum constitutio, aliis omnibus in corpore humano minus elastica, in sanis, et his morbis conuulsiuis affectis, eadem. Nunc tantum sciendum superest, an cerebrum cum suis vasis omnes has a magnis dosibus Opii illatas iniurias, salua sua naturali integritate, sineque damno superstite, sustinuerit; an nulla ipsi hac medendi ratione vis illata; an aegri plenariae sanitati restituti; an mentis vires pristinas recuperauerint, an hae imbecilles remanserint. De hoc momento curationis primario, nil quoque habet LEVISON [q]), *in Praxi hodierna Londinensi,* in qua contra tetanum et trismum moschus et opium pro primariis remediis declarantur, a quibus vnice fructus aliquis sit expectandus, si largioribus dosibus, adhibeantur. Si nimis paruae fuerint, ratione emolumenti nil certi de moscho determinari posse, notat WHYTT [r]). Octenni Puellae, Anglorum pollicitationibus sine dubio motus, *van* SWIETEN [s]), scrupulum dimidium per plures dies dedit. Cl. PIDERIT [t]), ratione portionis, in qua dandus Moschus, notandum esse dicit, quod, vt Chinenses imitemur, illa paulo largior esse debeat,

q) *p. 29. 30.*

r) *p 280.*

s) *Tom. III. p. 437.*

t) *p. 267.*

debeat, quam nostrorum consuetus mos est, ad minimum, ad scrupulum dimidium. Cel. VOGEL [v]) testatur, se per plures dies dedisse pro dosi grana duodecim. Hanc vero praescribere, alii Clari Viri non ausi sunt. *Lucas* SCHROECK, quando peculiari capite de dosibus Moschi agit, dosin a grano dimidio, ad II. III. X. extendi dicit, quae granorum decem sit, vltimam esse, alios ad summum exhibere grana quinque, vel sex; quamuis alii iterum etiam grana decem transcendere non dubitent. CHESNEAU [x]) grana tredecim pro dosi, declarat. Ill. QVARIN [y]), grana IV. exhibuit. Sane illae doses, quas interdum, licet rarius, porrexit HOFFMANNVS, respectu hactenus memoratarum, valde minutae sunt. Cel. SCHVLTZIVS [z]) Prof. Halens. Confectionem Alkermes completam, ob Moschum, et Ambram, aegrotantibus vix vltra drachmam dimidiam dari licere existimat, nisi in hominibus valde iam adsuetis, sanis autem paulo largiorem dosin non officere ait. Sane drachmae dimidiae valde parum Ambrae et Moschi inest. Alibi doctissimus Vir mentem suam sic explicat [a]). *De Viribus Moschi valde disputatur, sunt, qui internum vsum damnant, ob sulphur nimis vaporosum, sed parcum vsum omnino damnare nollem, vt copiosum nemini suaserim.* LOESEKE

v) *p. 355.*

x) *obseru. lib. III. p. 367.*

y) *in formulis ad curandas febres no. 17.*

z) *Praelect. de vsu et viribus remediorum p. 64.*

a) *in thesibus de Mat. med. p. 479.*

SEKE [b]) circumſpectum eſſe debere Medicum monet, raroque doſin vltra granum vnum, tria, vel quatuor, extendi debere.

b) *Abhandlung von Arzney Mitteln p. 553. Berl. 1758.*

Verum omnes illi Medentum, qui frequentius adamato hoc remedio vtuntur, iuſtam eius doſin, quae iuuare, quaeque ferri queat ſine noxa, exacte determinare prorſus nequeunt, cum genuinus et non adulterinus Moſchus rariſſime, dixerim potius, nunquam obtineatur. SCHROECKIVS [c]) recte verum Moſchum, illum tantum agnoſcit, qui ex folliculo depromitur. Sed ipſi Sinae adulterationi eius iam ſtudent, quos eapropter MARTINVS [d]), homines lucri cupidos, callidos, mendaces, auaros appellat. Recenſet TAVERNIER [e]), quod Ruſtici, quando occiderunt animal moſchiferum, ex illa veſicula, vel folliculo, quem gerit prope partes genitales, moſchum ſanguini coagulato ſimilem auferant, et hepar ſanguinemque huius animalis inuicem contundant, et commiſceant, locoque moſchi ipſi indent; mentionemque ſimul iniicit aliorum fraudulentorum conaminum, quibus moſchus adulteratur. Legitur apud SCHROECKIVM caput IV. de *Moſcho ex ſanguine Animalis parato.* Caput V. *de moſcho ex eius renibus, et teſti-*

c) *cap. VII.*

d) *in Atlante ſinico p. 54.*

e) *Les ſix Voyages en Perſe et aux Indes Part. III. lib. II. c. 24.*

testiculis confecto, caput VI. *de moscho ex tota animalis carne* vel aliarum animalium, vt vulpecularum, contusa, praeparato, et in vesicas, ex pelle formatas immisso. Nondum autem fraudum et technarum finis. Non sufficit, vt in patria sua malis artibus fuco obducatur et corrumpatur moschus, sed praeterea in Europa Iudaei, aliique lucri cupidi impostores, quia ipse sanguini exsiccato et grumoso similis est, eidem admiscent diuersorum Animalium sanguinem exsiccatum, hircinum, columbarum, noctuarum, micam panis, panem assum, semen angelicae puluerisatum, sanguinem draconis, terram iaponicam, ladanum, et quod primo loco notari debebat, stercus murium, mustelarum, martium [f]). Ob varia additamenta igitur peregrina, vesiculae indita, et moscho admixta, quia omnia, quibus adiacet, odore suo inficit, de veri et genuini praesentia, nil certi constare potest, neque etiam aliqua dosis iusta determinari, et stabiliri. Vltro professus est WHYTT [g]), *Saepe Vires moschi non animaduerti, quia adulterinus est.* His omnibus igitur ita se habentibus, cur vellemus diuersimode vitiatum, falsatum, deprauatum, incertae efficaciae et operationis remedium, in apparatum genuinorum et probatorum recipere, cum eo non indigeamus; cum habeamus

f) *Vid. Schröck. cap. XI. de Moscho adulterino. Neumann Cartheuser, Valentini, Crantz et alii.*

g) *p. 280.*

opium, quod odore suo, graui licet, nemini, vt ille, aduersatur, quod dextre praescriptum mares et foeminae bene ferunt, cuius doses veras, moschatis longe minores, certius multo scimus, et determinare atque stabilire possumus? Cur mediocrium dosium moschi inertiam et actionis incertitudinem experti, eousque eas augere vellemus, vt manifeste tandem noxiae queant euadere? Cur moschum, tot falsationibus expositum, vbi quoque maxime cauetur, propter quas *Danieli* LVDOVICI[h]) is merito displicet; cur Moschum factitium, qualem in nostris Officinis tantum existere, probat CRANTZ, authenticis et sinceris medicaminibus iungeremus, aut praeferremus? Non absolute indiget, vt felix et secura sit, morborum medela, tot medicamentis exoticis, veris etiam et minus corruptis. Merito Medicorum Exoticomaniam peculiari schediasmate castigauit SCHEFFELIVS, quanquam rheo et peruuiano cortice et aliis nonnullis, postquam nobis innotuerunt, aegerrime careremus. Non prorsus applaudo Cel. HEISTERO, qui, *de medicamentis Germaniae indigenis, Germanis sufficientibus*; elegantem dissertationem conscripsit. Quodsi autem, BOERHAAVIO[i]) Iudice, pro radice Ninzin, radix foeniculi; pro Paragoay, Ypecacuanha; pro Acmella, Agri-

h) *in Pharm. moderno Sec. applicata.*

i) *in epistolis ad Bassandum epist. 54.*

Agrimonia, et Betonica; pro Mongi, Ruta; pro faba Ignatii, Centaurium minus; pro Pareira Braua, radix Ariſtolochiae; commode ſubſtitui queat k), cur Moſcho non ſubſtitueremus Opium, quod inſuper in Europae Regionibus, Italia, Gallia, Britannia, Germania, aeque purum haberi poſſet, quam in Aſia, BELLONIO teſte; modo eadem cura in colendo papauere adhiberetur l). Si interea Practici quidam ſine Moſcho Medici eſſe noluerint, vt talis ſine Opio, ſed multo maiori iure, noluit eſſe SYLVIVS, illis quidem honorem inuidendum haud habuerim, quando aegris ſuis, cum moſcho, deceptricibus artibus creato, admiſtas ſtercoraceas dapes, et cupedias porrigunt. De latrinarum beneficio, moſcho deperditam fragrantiam reſtituente, quod ipſi exprobrat BARTHOLINVS, quodque obſoleto conferri ſolere non negat SCHROECKIVS m), et HOFFMANNVS n), iam nil dicam. Nauſeam certe mouerent talia medicinalia fercula moſchata, delicatioribus maribus, et foemellis, ſi, quae ſub tegmine ſuaueolente ſubſint et lateant ſordida et ſpurca, probe ſcirent. Ego per Semiſeculum, quo artem medicam exercui, ab omnibus ambiguis et incertis remediis mihi ſollicite caui, quae toties, certioribus et ſecurioribus neglectis, in vſum vocan-

k) *plura eiusmodi domeſtica, exoticis ſubſtituenda, vide apud Scheffelium §. XI.*

l) *vide meum Vſum Opii ſalubrem, et noxium Sect. I. c. I. §. 2.*

m) *cap. XII. in fine.*

n) *in notis ad Poterium. Attentione dignum et curioſum eſt, inquit, quod Moſchus odore ſuo priuatus, ſi in latrina ſuſpendatur, ſuauem ſuum odorem iterum acquirat. p. 483.*



vocantur. Alte animo meo haesit effatum HIPPOCRATIS: *Experimentum periculosum*, dubiaeque aleae rem habui, experimenta facere, si non semper per mortes et funera, tamen per casum, et ancipitem fortunam. Neque vnquam salutem aegrorum meorum audaciae, temeritati, leuitatique animi, debere volui.



CONSPECTVS.



ERRATA TYPOGRAPHICA

SEQVENTE RATIONE CORRIGENDA.

In dedicatione.

pag. 5 lin. 3. pro *Opus* lege *Opes.*

In praefatione.

pag. 1 lin. 13. pro *placita* lege *placida.*

porro: pag. 24 lin. 7. pro *ipſe* l. *ipſi.*

pag. 33 lin. 1. pro *ipſe* l. *ipſae.*

pag. 34 lin. 8. pro *accipiti*, l. *occipiti.*

pag. 69 lin. antepen pro *duo* l. *duae.*

pag. 73 lin. 1. pro *figa* l. *dicit.*

pag. 75 lin. 26. poſt *adhibitum* l. *Moſchum.*

pag. 84 lin. 24. pro *repetitae* l. *repetita.*

pag. 131 lin. 28. pro *hemiplecticae* l. *hemiplectico.*

Si quaedam alia ſuperfuerint Lector beneuolus facile illa ſenſum non turbantia corriget.